ACTA ET DECRETA

PRIMI CONCILII

PROVINCIALIS HALIFAXIENSIS

HABITI

IN ECCLESIA METROPOLITANA S. MARIÆ

MENSE SEPTEMBRI

MDCCCLVII.



HALIFAXIÆ:

EX TYPIS COMPTON ET BOWDEN,

1860

ser
ori
lel
De
ral
die
ve
ner
cis
tra

Ca
Ch
Sa
die
ac

Pr

L.

APPROBATIO.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

Post institutam Provinciam Ecclesiasticam Halifaxiensem Prima Synodus Provincialis habita est anno superiori in Civitate ejusdem nominis præsidente R. P. D. Guillelmo Walsh, Archiepiscopo Halifaxiensi. Actis autem ac Decretis ejusdem Concilii Provincialis propositis in Generalibus Comitiis S. Congregationis de Propaganda Fide diei 9 Martii hujus anni, referente Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Cardinali Constantino Patrizi, Eminentissimi Patres censuerunt prædictum Concilium paucis quibusdam ad peculiaris instructionis, quæ insimul traditur, formam redactis, esse approbandum.

Hanc vero S. Congregationis sententiam cum R. P. D. Cajetanus Bedini Archiepiscopus Thebarum S. Concilii Christiano Nomine Propagando a Secretis retulisset Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX. in Aud. habiti die 11 Julii ann. 1858, SSmus. eam in omnibus adprobavit, ac præsens Decretum expediri jussit.

Datum Romæ ex Ædibus dictae S. Congregationis de Propaganda Fide die 13 Julii 1858.

AL. CARDINALIS BARNABO, *Præfectus.*

L. ✠ S.

CAJET., *Archiepiscopus Thebar.*, *a Secretis.*

ACTA
CONCILII PROVINCIALIS HALIFAXIENSIS.

INDICTIO SYNODI PROVINCIALIS HALIFAXIENSIS.

Guillelmus Walsh,

Miseratione Divina et S. Sedis Apostolicæ gratia, Archiepiscopus Halifaxiensis; SSmi. Dni. Nostri Prelatus Domesticus Pontificio Solio Assistens &c.

Illustrissimis et Reverendissimis Dominis Episcopis, Sedis Metropolitanæ Halifaxiensis Suffraganeis et aliis omnibus qui de jure Concilio Provinciali interesse debent, Salutem in Domino.

Inter alia innumera Sollicitudinis Archiepiscopalis officia, haud infimum locum sibi vindicat Provincialis Synodi convocatio (1) quæ olim veterum Canonum jure ac nuper Tridentini Concilii solemni decreto constituta, ad disciplinæ Ecclesiasticæ conservationem et perfectionem quam maxime conferre potest. (2)

Magno quidem dolori nobis fuit officium tam magni

---

(1) " Metropolitanus . . . . non prætermittat Synodum in Provin cia sua cogere."—*Conc. Trident. Sess. XXIV. c.* 2 *de Reform.*

(2) In quibus de corrigendis excessibus et moribus præsertim in Clero, dili gentem habeant cum Dei timore tractatum, canonicas regulas . . . . rele gentes ut eas faciant observari, debitam pœnam transgressoribus infligendo."—*Conc. Lateranense IV. c.* 6.

" Provinciali Concilia pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis aliisque ex sacris canonibus permissis, renoventur."—*Con. Trid. Sess. XXIV. c.* 2,

momenti usque nunc præter expectationem atque desiderium nostrum dilatum fuisse, propter rationes omnibus bene cognitas. Dies tandem optata jam advenit qua tempus definitum pro prima Synodo Provinciæ Halifaxiensis Ecclesiasticæ, statuere possumus.

Synodum ergo Provincialem Episcoporum Sedis Halifaxiensis Suffraganeorum in Ecclesia Metropolitana Sanctæ Mariæ de Halifax, Octava die Septembris currentis anni inchoandam et divina gratia per dies sequentes continuandam, donec felici absolvatur exitu, per Præsentes indicimus et convocamus in Domino.

Quapropter Illmi. ac Rmi. Fratres virtute officii nobis præter merita commissi, vos omnes et singulos ad indictam Synodum per Præsentes vocamus, ut ad præfatum diem et locum qui est omnibus accessu facilis, convenientes, collatis consiliis, et salutaribus editis decretis, Sacrosancta Fides Catholica augeatur conserveturque ; ut præterea de recta Sacramentorum administratione, de officiis et obligationibus Antistitum et Cleri, de Christiana juventutis institutione provideatur ; ut omnia dissidia si opus fuerit canonice componantur, et ut cuncta quæ morum reformationem spectant, rite decernantur.

Enixè vos hortamur Illmi. ac Rmi. Fratres ut præter vestras orationes privatas, unusquisque etiam in sua Diocesi preces publicas ad Deum devote effundendas præscribat, toto tempore quod inter convocationem et celebrationem Concilii intercedet ; ut, Spiritu Dei edocti, aliquid saltem illius cœlestis Sapientiæ quæ sicut omne aliud datum optimum a Patre luminum descendit, pro magno officio nobis proposito digne perficiendo, obtineamus. Sancta desideria et recta consilia a Domino impetremus ut omnia quæ a nobis in Spiritu Divinæ chari-

tatis et unionis fraternæ decreta fuerint, ad majorem Dei gloriam et sanctificationem fidelium conducant.

Rogamus insuper ut per vos hæc Synodi indictio tempestivè nota fiat omnibus in vestris Diocesibus qui jus vel habeant vel se dicunt habere Synodo interveniendi.

Faxit Deus intercedente Beatissima Virgine Dei Genetrice Maria, sine labe originali concepta, cum Beatis Apostolis Petro et Paulo, et omnibus hujus Provinciæ Sanctis Patronis, hoc primum Provinciale Concilium ad Fidem Catholicam et Ecclesiasticam disciplinam stabiliendam prosperè proficiat, et omnium bonorum spiritualium dilectissimo populo pro quibus Supremo judici rationem aliquando reddituri sumus, origo et fons perennis existat.

✠ GUILLELMUS WALSH,
Archiepiscopus Halifaxiensis.

Datum Halifaxiæ, Apud S. Mariam,
Kalendis Maii, 1857.

PARS I.

ACTA

PRIMI CONCILII PROVINCIALIS HALIFAXIENSIS.

IN ECCLESIA METROPOLITANA S. MARIÆ DE HALIFAX.

HABITI MENSE SEPTEMBRI 1857.

Feria 2da die 7a Septembris. Conventus Præparatorius.

Die 7a Septembris, post Missam, summo mane habitus est in aula Archiepiscopi Congressus præparatorius Episcoporum, scilicet Illustrissimi ac Reverendissimi Archiepiscopi, Episcoporum Carolinapolitani, Arichatensis, et S. Joannis.

A Metropolitano dicta est oratio *Adsumus*. Idem secretum de omnibus actibus indixit, et Promotorem designavit Episcopum S. Joannis. Præcedentia Episcoporum juxta ordinem promotionis statuta est sine tamen ullo præjudicio jurium ad suas Dioceses respectivè pertinentium.

Lecta sunt nomina Theologorum ab Episcopis adductorum inter quos erant duo Theologi a Patribus invitati.

Præterea, nomina Deputatorum a Capitulo Metropolitano lecta fuerunt.

Eodem die 7a scilicet Septembris, hora prima pomeridiana Congregatio Generalis habita fuit. Omnes ordinatim procedebant, sedesque proprias occupabant. Archiepiscopus stans versus Crucem in medio positam, Orationem *Adsumus* recitavit, præter Episcopos omnibus

aliis genua flectentibus. Postea de Synodi celebratione, et de modo in ea vivendi sedentes omnes gravi sermone allocutus est, et usque ad decretorum confirmationem a S. Sede, secretum indixit.

Discessis omnibus præter Episcopos, Secretarios et Cæremoniarios, Episcopus S. Joannis, instantiam fecit pro aperiendo Concilio, atque documentum quo Promotor nominatus est, exhibuit, scilicet :—

DEPUTATIO PROMOTORIS.

Omnibus et singulis notam facimus, in Cœtu particulari die 7ª Septembris 1857 habito, Illmos. ac Rmos. Episcopos censuisse Illmum. ac Rmum. Thomam Ludovicum S. Joannis Episcopum nominandum esse in Synodo Provinciali Halifaxiensi proximè aperienda.

Quapropter nos eidem Episcopo omnia jura et privi-ligia ad suum munus ritè exercendum necessaria per has Præsentes conferimus, ut in singulis Sessionibus et Congregationibus tanquam Promotor haberi possit et debeat.

Datum Halifaxiæ, apud S. Mariam hac ipsa die 7ª Septembris, 1857.

✠ GUILLELMUS, *Archiepiscopus Halifaxiensis.*

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Archiepiscopi.

EDVARDUS BUTLER, *a Secretis.*

INSTANTIA PRO APERIENDA SYNODO.

Illustrissime ac Reverendissime Domine :

Cum Concilii Provincialis Halifaxiensis per Decretum, Kalendis Maii hujus anni datum, dies præfixa, octava scilicet Septembris jam advenerit; cumque prout ex in-

strumento modo exhibito Amplitudo Tua me Thomam Ludovicum S. Joannis Episcopum hujus Synodi Promotorem constituerit, pro meo munere adstans requiro hoc Concilium Provinciale de jure et de venia S. Sedis Apostolicæ rité denuntiatum atque promulgatum hoc ipso die per vos deliberari et declarari incipere, jamque incœptum esse. Cujus faustum et felicem exitum a Deo suppliciter deprecemur.

✠ Thomas Ludovicus, *Episcopus S. Joannis, Promotor.*

Ad quam instantiam unus ex Secretariis hæc protulit verba:—Illustrissime ac Reverendissime Domine, Reverendissimi Patres, placetne vobis, ad laudem Omnipotentis Dei, Beatissimæ semperque Immaculatæ Virginis, et Sanctorum Patronorum hujus Provinciæ, præsentem Synodum declarare incipere, jamque incœptum esse?"

Alter Secretarius cum Cæremoniario ad singulos accessit Episcopos, atque responsum excepit uniuscujusque per verbum *Placet*, deinde versus Illmum Archiepiscopum dixit: "Illme. ac Rme. Domine, ad quæstionem propositam omnes Patres responderunt *Placet*."

Tunc Archiepiscopus Decretum pro aperienda Synodo dedit Secretario qui illud distincte perlegit:—

DECRETUM DE APERIENDA SYNODO.

In Nomine Sacrosanctæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Nos Guillelmus Walsh miseratione Divina et S. Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus Halifaxiensis, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis et Salvatoris nostri Jesu Christi, et honorem Beatissimæ semperque Immacu-

latæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum, ad ædificationem Ecclesiæ Dei, ad abusus corrigendos, pietatem fovendam et zelum animarum augendam in Clero et populo, Statuimus et decernimus, de consilio et consensu Illustrissimorum et Reverendissimorum Dominorum hujus Provinciæ Halifaxiensis Episcoporum hoc ipso die qui est VIII. mensis Septembris hujus anni millessimi octingentesimi, quinquagesimi septimi Deo adjuvante initium fieri et jam factum esse hujus Synodi Provincialis Halifaxiensis apud Ecclesiam Metropolitanam S. Mariæ de Halifax quam ad hanc diem et locum convocavimus et indiximus per Litteras Nostras, Kalendis Mensis Maii currentis anni, datas.

Concedat Misericors Deus ut omnia cœpta vel absoluta in hoc Concilio ad majorem Ipsius honorem et salutem animarum proficiant.

Datum apud S. Mariam, die, mense et anno quibus supra.

GUILLELMUS, *Archiep. Halifaxiensis.*

De Mandato Illmi. ac Rmi. Dni mei Archiepiscopi.

EDVARDUS BUTLER, *Secretarius.*

Lecto Decreto unus ex Secretariis Clericos qui foris aderant, his verbis allocutus est: "Reverendi Domini, si quis vestrum ad Synodum aliquid referre velit, datur ei libera facultas dicendi."

Idem vulgari Sermone a Cæremoniario dictum est.

Introducti fuerant Rev. Dnus. Dionysius Geary Canonicus Pœnitentiarius et Rev. Dnus. Jacobus Kennedy Canonicus qui documentum deputationis eorum a Capitulo Metropolitano exhibuerunt et postea discesserunt.

Quo facto Promotor Archiepiscopo hæc verba fecit.

" Illme. ac Rme. Dne. Ego Thomas Ludovicus Episcopus Promotor humillimè rogo ut recipiatur protestatio mea contra præjudicium quod huic Synodo inferri possit propter absentiam eorum qui ad Synodum non fuerunt vocati, seu vocati adesse vel noluerunt aut non potuerunt." Cui Archiepiscopus: Admittimus protestationem.

Et tunc: Reverendissimi Patres, nostisne aliquem absentem esse eorum qui jus habeant ad votum decisivum in hoc Synodo proferendum? Et Patres negativè responderunt.

Promotor dixit: Peto ut legantur Decreta in Sessione Prima, feria tertia proferenda. Lecta fuerunt Decreta et assensu Episcoporum in forma solita obtento Archiepiscopus dixit " Decreta modo lecta placuerunt Patribus. De eorum ergo consensu ea statuimus ut lecta sunt."

Dicta oratione, *Sancta Maria, &c.* et *Actiones Nostras, &c.*, recesserunt omnes.

In hac Congregatione lecta sunt Decreta *De Methodo Vitæ, De non præjudicando, De Officialibus, De Judicibus in causis personalibus*, et *De non discedendo.*

Hodie sub Vesperas campanæ Metropolitanæ Ecclesiæ per spatium temporis notabile festivè sonabantur, et ipsa Ecclesia juxta Rubricas summo studio disposita atque ornata fuit.

SESSIO PRIMA.

Die octava Septembris, Feria III. Hora nona ad sacras vestes assumendas omnes convenerunt. Vestibus assumptis ordinata fuit Processio. Archiepiscopus imposuit thus in thuribulum et benedixit et postea stans sine mitra versus Altare cantavit primum versiculum Hymni *Veni Creator Spiritus*, et pariter cum omnibus ad

finem strophæ genuflectit. Tunc surrexerunt omnes et Hymnum prosequentes, ibant processionaliter per totum circuitum externum Ecclesiæ, Archiepiscopo et aliis Prælatis populo benedicentibus. Dum hæc fierent organa atque campanæ pulsabantur. Cantatus fuit insuper in Processione *Ave Maris Stella* et *Iste Confessor* cum Psalmis, 80, 67, 83, 86 et 132.

Intrando Ecclesiam usque ad Altare Majus, terminata fuit Processio. Antiphonæ et Versiculi proprii a Cantoribus, Orationes vero ab Archiepiscopo cantatæ fuerunt.

Tunc Pluviali Rubro deposito, Archiepiscopus Paramenta quæ erant necessaria pro Missa Solemni et Pallium assumpsit et Missam de Spiritu Sancto cum cantu celebravit, atque concionem habuit super hæc Evangelii verba "Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia et ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos." *Luc. IX.*

Omissa Benedictione in fine Sessionis danda, Pallio desumpto, Missaque peracta, Archiepiscopus deposita Planeta, &c. pluviali rubro et mitra pretiosa indutus est, atque baculum pastoralem manu tenens coram altari accessit, ubi ante faldistorium ad infimum Altaris gradum positum genuflexus incepit, mitra deposita, Antiph. *Exaudi nos Domine, &c.* Postea decantatus fuit Psalm. 68 cum Orat. *Adsumus, &c.*, Litaniis et Evangelium cum solitis cæremoniis. Quo facto Hymnus *Veni Creator*, ab Archiepiscopo incœptus, a Cantoribus et Clero terminatus fuit, et Archiepiscopus, discedente clero et populo, primam habuit Sessionem.

Ex *Pontificali* legit allocutionem *Venerabiles Consa-*

cerdotes et nonnulla subjecit de causis et ratione Concilii et de silentio ab omnibus observando donec Decreta a S. Sede approbata fuerint.

Promotor fecit instantiam sicut die hesterna pro inceptione Synodi. Decretum Archiepiscopi pro aperienda Synodo lectum est, atque consensu Patrum ritè obtenta Archiepiscopus dixit, "Decretum placuit Patribus; itaque decernimus Hujus Provinciæ Halifaxiensis Synodi initium fieri et jam factum esse." Promotor, Illme. ac Rme. Domine, peto ut legantur Decreta *De Methodo Vitæ*, *De Officialibus*, *De Judicibus causarum Personalium*, *De non Præjudicando* et *De non discedendo*.

Lectis Decretis ab uno ex Secretariis quæsivit sententiam Patrum sub his verbis: "Reverendissimi Patres, placentne hæc Decreta?" Secretarius alter cum uno ex Cæremoniariis ad Patres singulos adiit et eorum suffragia detulit ad Archiepiscopum, qui dixit, 'Decreta placuerunt, ideoque gratiæ Deo sunt agendæ.'

Patres: Deo Gratias.

Promotor: Peto ut legantur nomina eorum qui interesse debent.

Archiepiscopus: Ita decernimus et mandamus.

Lecta sunt nomina et unusquisque respondit *Adsum*.

Archiepiscopus: Reverendissimi Patres nostisne aliquem absentem esse eorum qui ad hanc Synodum venire tenentur?

Respondit Episcopus Carolinapolitanus se neminem nosse nisi forte Terræ Novæ Episcopos qui juxta Litteras Apostolicas pro erectione Hujus Provinciæ, tenentur intra tramites S. Concilii Tridentini Concilio Provinciali Halifaxiensi interesse, sed illos sine dubio canonicas pro eorum absentia habere rationes. Ad eundem modum responderunt alii Episcopi.

Promotor: Illme. ac Rme. Domine, protestor contra omnes qui sine legitima excusatione absentes sunt, et peto quod non debeat inferri præjudicium huic Concilio, propter absentiam eorum qui per incuriam vocati non fuerint vel qui vocati adesse noluerunt vel non potuerunt.

Archiepiscopus: Admittimus Protestationem.

Archidiaconus Capit. Metrop. legit Decreta Sacrosancti Concilii Tridentini *De Residentia* et *De Professione Fidei.*

Promotor: Ego Thomas Ludovicus Connolly Episcopus Promotor, peto et insto, ut omnes et singuli Episcopi juxta Decretum Sacrosanct. Trident. Synodi et Bullam Pii IV, in hac prima Synodo cui intersunt, Professionem Fidei emittere non negligant.

Archiepiscopus dedit Decretum sequens quod a Secretario lectum est:—

" Guillelmus, &c.

Cum annuente Deo et intercedente Beatissima Virgine Maria Dei Genitrice prima Synodus Provinciæ Halifaxiensis hodie congregata sit, Nosque Professionem Fidei juxta tenorem Bullæ Pii IV. fel. record. et Constitutionis Concilii Tridentini emittemus, omnibus et singulis Episcopis præscribimus et injungimus sub debitis sancti onibus ut eamdem Fidei professionem postea in Hac Prima Sessione emittant.

Datum Halifaxiæ apud S. Mariam, Die Octava Septembris, 1857.

✠ GUILLELMUS, *Archiepus. Halifaxiensis.*

De Mandato Illmi. ac Rmi. Domini mei Archiepiscopi.

EDVARDUS BUTLER, *a Secretis.*

Tunc Archiepiscopus flexis genibus, et versus ad Altare Professionem emisit juxta formam a Pio IV. præscriptam.

Deinde sedens cum Libro Evangeliorum excepit Professionem Episcop. Suffraganeorum qui hoc ordine accedebant.

Episcopus Carolinapolitanus.

Episcopus Arichatensis.

Episcopus S. Joannis.

et singuli, unus post alium, ambas manus super Evangelia extendentes, Professionem his verbis, emiserunt.

"Ego N. Episcopus N. omnia et singula quæ a Sacrosancta Tridentina Synodo definita sunt recipio, necnon veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeo et profiteor; hæresesque omnes a S. Canonibus et Generalibus Conciliis, præsertimque ab eadem Tridentina Synodo damnatas detestor et anathematizo; Fidemque profiteor juxta formulam præscriptam a Pio IV. quam nunc legit Illustrissimus Dominus Metropolitanus, et ita ego recipio spondeo, profiteor, anathematizo, voveo et juro. Sic me Deus adjuvet et hæc Sancta Dei Evangelia."

Post hæc Promotor Decretum petiit pro Secunda Sessione tenenda, quod Archiepiscopus dedit sicut sequitur, sententiis Patrum prius habitis.

" Guillelmus, &c.

Sententia Patrum præsentium audita decernimus Sessionem Secundam habendam esse, Dei favente gratia Feria Quinta hujus hebdomadæ, omnes et singulos monentes ut ea die adsint, sub pænis contra contumaces statutis.

Datum Halifaxiæ apud S. Mariam Die Octava Septembris, 1857.

✠ GUILLELMUS, *Archiepiscopus.*

De mandato Illmi ac Rmi. Domini Archiepiscopi.

EDVARDUS BUTLER, *a Secretis.*

Tunc omnes ad orationem mentalem per sonitum campanæ vocati sunt, et tria puncta pro meditatione ab Archidiacono lecta sunt.

Postremo Archiepiscopus in fine sessionis Benedictionem impertitus est.

Decretum *De Methodo Vitæ* in loco publico affixum est.

Horis pomeridianis Congregatio Particularis ab Episcopis habita fuit.

Hora septima concionem habuit in Ecclesia Metropolitana Rev. D. Joannes Woods, Canonicus, et Benedictionem Venerabilis Sacramenti dedit Illmus. Episcopus Arichatensis, Archiepiscopo et aliis Episcopis assistentibus cum frequentissimo clero et populo.

Hodie in Prima Sessione etiam lecta fuerunt Litteræ Apostolicæ pro erectione Provinciæ Ecclesiasticæ Halifaxiensis, pro creatione primi Archiepiscopi et pro erectione Capituli Metropolitani cum Litteris Archiepiscopi quibus vi Facultatum a S. Sede concessarum Capitulum Metropolitanum constituit atque erexit.

Die 9ª Septembris Feria IV. Hodie congregatio particularis et generalis habitæ fuerunt cum solitis cæremoniis, et Decreta pro Sessione secunda diligenter examinata atque probata.

Congregatio Disciplinaris et Moralis Præsidem habuit Episcopus Arichatensis, et Episcopus S. Joannis Congregationi Liturgicæ præfuit.

Hora septima pomeridiana sermonem habuit Rev. Daniel McDonald, S. T. D. ex Diœces. Carolinapolitano, et Episcopus S. Joannis Benedictionem Venerabilis Sacramenti dedit, assistentibus omnibus sicut in die hesterna.

Die 10ª Septembris Feria V. Convenerunt omnes ad horam nonam antemeridianam et Missa solemnis de Spi-

ritu Sancto ab Illmo. ac Rmo. Episcopo S. Joannis celebrata est.

Qua peracta Archiepiscopus ad infimum Altaris gradum accedens Antiph. inchoavit *Propitius esto, &c.* et Psalmo 78 atque orationibus finitis, Evangelium (Luc. x) *Designavit Dominus, &c.* cantatum fuit.

Post hymnum *Veni Creator* sedens Archiepiscopus Synodum allocutus est, ex Pontificali, in verbis *Venerabiles et Dilectissimi Fratres Nostri, &c.* et instantiam fecit Promotor pro Secunda Sessione incipienda.

Rogatu Archiepiscopi Bulla *Ineffabilis Deus* de Immaculata Deiparæ Conceptione ab Archidiacono lecta fuit. Qua finita omnes quasi uno instinctu acclamaverunt, et repetitis vicibus dixerunt Amen. Amen. In æternum fiat! Firmiter credimus et exultantibus animis confitemur. Tota pulchra est Maria et macula nunquam fuit in Ea. Vivat, in æternum vivat Immaculata Deipara.

Lata sunt Decreta, *De Fide Catholica. De Fidei Professione Emittenda. De Fide Servanda. De Sacramentis. De Baptismo. De Confirmatione. De Sanctissima Eucharistia. De Sacramento Pœnitentiæ. De Sacramento Extremæ Unctionis et De Sacramento Ordinis.*

Cum omnium consensu prorogata fuit Sessio Secunda ad diem Sabbati, scilicet 12 mam Septembris.

Hora septima pomeridiana concionem habuit in Ecclesia Metropolitana Adm. Rev. Joannes Sweeny, Diœces, S. Joannis Vicarius Generalis, et Benedictionem Venerabilis Sacramenti dedit Illustrissimus Episcopus Carolinapolitanus, Archiepiscopo et aliis Episcopis assistentibus.

Die 11a Septembris Feria VI. Ecclesia ritè præparata atque Castro Doloris in medio posito, convenerunt omnes ad horum decimam antemerid. et Missa Solemnis de Re-

quiem pro defunctis Provinciæ Episcopis ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Arichatensi celebrata est, cum absolutionibus solitis in fine. Ferè per totam diem habitæ sunt Congregationes tam privatæ quam generales, et reliqua decreta pro Sessione Secunda de more probata fuerunt.

Hora septima pomeridiana concionem habuit Rev. Joannes Cameron S. T. D. ex Diœces. Arichatensi, et Benedictionem Venerabilis Sacramenti dedit Illmus. Episcopus Sancti Joannis, Archiepiscopo et aliis Episcopis assistentibus.

Die 12ª Septembris, die Sabbati, convenerunt omnes ad horam nonam antemerid. et Missam Lectam de Spiritu Sancto celebravit Episcopus S. Joannis. Qua finita, instantiam fecit Promotor pro continuatione Sessionis Secundæ.

Assentientibus Patribus lata fuerunt Decreta, *De Sacramento Matrimonii. De Vita et Honestate Clericorum*, et *De Episcopis.*

Tunc Promotor fecit instantiam pro Tertia Sessione die 15 ª Septembris tenenda quæ ritè concessa fuit. Archidiaconus tria legit puncta pro oratione mentali et data ab Archiepiscopo Benedictione, terminavit Sessio Secunda.

Horis vespertinis Congregatio privata Episcoporum habita fuit.

Die Dominica. 13 ª Septembris. Post eorum Missas, ad consuetam Missam Solemnem hora undecima antemerid. convenerunt Patres, et Archiepiscopus pontificaliter assistit. Cantato Evangelio, concionem habuit Episcopus Arichatensis de Sacratissimo Mariæ Nomine, et in fine Missæ Benedictionem ex altari impertitus est Illmus. Archiepiscopus, qui etiam Indulgentias post concionem concesserat.

Hora tertia pomeridiana pro Vesperis cantandis omnes convenerunt iterum in Ecclesia Metropolitana. Vesperas (quæ primæ erant Fest. Exaltationis S. Crucis) pontificaliter et cum solitis cæremoniis celebravit Archiepiscopus, et concio super evangelium dominicæ facta est a Rev. P. D. Jacobo Kennedy, Capit Metropolit. Canonico.

Die 14ª Septembris Feria II. Post plures Missas speciales Congregationes habitæ fuerunt, et una hora post meridiem Congregatio Generalis in qua omnia pro Sessione Tertia ordinata sunt. Hora septima adsistentibus omnibus in Ecclesia Metropolit. sermonem habuit Rev. P. L. Patritius Madden, Capit. Metropolit. Canonicus, et Benedictionem Venerabilis Sacramenti dedit Illmus. Episcopus Arichatensis, Archiepo. et aliis Episcopis assistentibus.

Die 15ª Septembris Feria III. Hora nona A.M. convenerunt omnes et Missa de Spiritu Sancto ab Illmo. Archiepiscopo celebrata et concio ab Illmo. Episcopo S. Joannis facta est. Deinde omnia pro die tertia Synodi in Pontificali notata, rité perficiebantur.

Promotor petiit ut nomina omnium legantur, quod et factum est, atque singuli responderunt *Adsum.*

Protestatione contra absentes iterum facta, Promotor instititit pro incœptione Sessionis Tertiæ, et consensu Patrum obtento Archiepus. dixit; "Placuit Patribus hanc Sessionem Tertiam incipere et incœptam esse, atque ita decernimus."

Lata sunt Decreta *De Ecclesiis* et *De Cœmeteriis.*

Promotor; Illme, ac Rme. Domine, peto ut omnia et singula Decreta scilicet, *De Methodo Vitæ. De Non Præjudicando, De Officialibus, De Causarum Personalium Judicibus Constituendis, De Non Discedendo, De Fide Catholica,*

De Fidei Professione Emittenda, De Fide Servanda, De Sacramentis, De Baptismo, De Confirmatione, De Sanctissima Eucharistia, De Sacramento Pœnitentiæ, De Sacramento Extremæ Unctionis, De Sacramento Ordinis, De Sacramento Matrimonii, De Vitæ et Honestate Clericorum, De Episcopis, De Ecclesiis et *De Cœmeteriis* denuo et integre quantum opus est pro lectis habeantur et a Patribus confirmentur et supremo S. Sedis judicio emendanda et sanciendа submittantur.

Assentientibus Patribus dixit Archiepiscopus ; Placuit Patribus, et ideo decernimus et statuimus ita fieri debere.

Promotor : Illme. ac Rme. Domine, peto ut decernatur omnes qui jus habent interessendi, ad subscribendum teneri et obligari antequam ex hoc loco discedant.

Et Archiepiscopus dedit Decretum ut infra.

Guillelmus, &c.

Admonet omnes Reverendissimos Patres qui huic Synodo jure intersunt, ut, post se, singuli, suo loco et ordine ad Altare Majus accedant et iis quæ in hac sancta Synodo decreta sunt, subscribant.

Datum Halifaxiæ apud S. Mariam, die 15ª Septembris.

✠ Guillelmus, *Archiep. Halifaxiensis.*

Ex mandato Illmi. ac Rmi. Domini mei Archiepiscopi.

Edvardus Butler, *a Secretis.*

Archiepiscopus et alii Patres tunc ordine subscribebant sub hac formula.

'Ego N. Archiepiscopus vel Episcopus N. definiens subscripsi.'

Litteris quoque ad Sanctissimum Dominum Nostrum, sicut jam antea statutum est, subscripserunt.

Tunc fecit instantiam Promotor pro secunda Synodo Pro-

vinciali, his verbis "Illmo. ac Rmo. Dno. Metropolitane, cautum est proximam Synodum Provincialem in hac ultima Sessione indici. Ideo humiliter peto secundam Synodum Provincialem futuram, omnibus denuntiari et indici pro anno millesimo octingentesimo, sexagesimo, die nona Septembris."

Assenserunt Patres et Archiepiscopus sequens dedit Decretum.

Guillelmus, &c.

Auditis suffragiis Comprovincialium Episcoporum in fine sessionis ultimæ hujus Primæ Halifaxiensis Provinciæ Synodi, Decernimus Secundam futurum Synodum Provincialem habendam esse si Deo placuerit die nona et sequentibus mensis Septembris anno millesimo, octigentesimo, sexagesimo.

In Quorum fidem has Præsentes in præfata sessione publicari jussimus.

Die 15ª Septembris, 1857.

✠ Guillelmus, *Archiepus.*

Ex mandato Illmi. ac Rmi. Domini mei Archiepiscopi.

Edvardus Butler, *a Secretis.*

Promotor tunc dixit: Illme ac Rme. Dne. peto ut huic Synodo Provinciali finis imponatur.

Secretarius: 'Reverendissimi Patres placetne vobis ad Dei omnipotentis laudem hujus Provincialis Synodi finem jam fieri.'

Placuit Patribus, et Archiepiscopus publicavit Decretum quod sequitur.

Guillelmus, &c.

Cum jam, Deo adjuvante, absoluta sunt ea quæ pro temporis circumstantiis agi posse videbantur, cumque

cura pastoralis reverendissimos Episcopos qui hic in Concilio adsunt ad illorum sedes Episcopales revocet, hinc finem hujus Synodi jure faciendam esse censuimus.

Datum in Synodo die 15ª Septembris, 1857.

✠ GUILLELMUS, *Archiepus.*

Ex mandato Illmi. ac Rmi. Domini mei Archiepiscopi.

EDV. BUTLER, *a Secretis.*

Promotor tunc dixit Archiepiscopo, Illme. ac Rme. Dne. Reverendissimi Patres Concilii hujus gratias quam maximas Amplitudini tuæ et habent et agunt pro urbanitate et hospitalitate qua usus es versus omnes tam Patres quam Clerum per totam Synodum, et multos annos exoptant.

Postea clerus et populus in ecclesiam ingressi sunt et Archiepiscopus intonavit hymnum *Te Deum*, qui cum Psalmis præscriptis a cantoribus prosecutus est, et festivè pulsabantur campanæ.

Tunc facta est oratio mentalis pro qua tria puncta ab Archidiacono lecta fuerunt. Oratione finita, Acclamationes ab omnibus summa lætitia decantatæ fuerunt.

Osculo pacis ab Archiepiscopo singulis Episcopis dato, Benedictio in fine Sessionis ab eodem est impertita. Deinde omnes in pace recesserunt.

Durante Concilio multitudo quam maxima fidelium confessi atque Sacra Communione refecti sunt ad Plenariam Indulgentiam lucrandam, quæ a sanctitate sua benignè concessa fuerat.

NOMINA EORUM QUI HUIC PRIMÆ SYNODO HALIFAXIENSI INTERFUERUNT.

Præfuit Illmus. ac Rmus. Guillelmus Walsh Archiepiscopus Halifaxiensis.

Interfuerunt Illmus. ac Rmus. Donaldus Bernardus McDonald Episcopus Carolinapolitanus.

Illmus. ac Rmus. Colinus Franciscus McKinnon Episcopus Arichatensis.

Illmus. ac Rmus. Thomas Ludovicus Connolly, Episcopus Sancti Joannis.

Deputati Capituli Metropolitani.

Rev. P. Dionysius Geary, Canonicus Pœnitentiarius.

Rev. P. Jacobus Kennedy, Canonicus.

Theologi a Patribus invitati.

Rev. Adm. Jacobus Dunphy, Capit. Metropolitani Decanus.

Rev. P. Joannes Higginbotham.

Theologi Episcoporum.

Rev. P. Michael Hannan S. T. D. Capit. Metropol. Archidiaconus et Rev. P. Guillelmus Hannigan, Canonicus Theologus ejusd. Capit. ab Illmo. Archiepiscopo adducti.

Rev. P. Daniel McDonald S. T. D., ab Illmo. Episcopo Carolinapolitano adductus.

Rev. Adm. Alexander McDonald, Vicarius Generalis ab Episcopo Arichatensi adductus.

Rev. Adm. Joannes Sweeny, Vicarius Generalis ab Episcopo S. Joannis adductus.

Secretarii.

Rev. P. Joannes Cameron, S. T. D.

Rev. P. Edvardus Butler.

Cæremoniarii.

Rev. D. Patritius Madden, } Capit. Metropol. Canonici.
Rev. D. Joannes Woods, }

Thomas Daly, Clericus.

Cantores.

Rev. D. Patritius Power, Capit. Metropol. Canonicus.

Rev. D. Philippus Holden.

ACCLAMATIONES.

IN FINE SYNODI HALIFAX., PROVINC., I. FACIENDÆ.

Archidiaconus. Deo omnipotenti, trino in personis in essentia uni, laus et honor.

Chorus. Sit in perpetuum laus et honor Tibi, beata Trinitas. Replebitur majestate tua omnis terra: fiat, fiat.

Archidiaconus. Beatissimæ Immaculatæ semper Virgini Dei Genitrici Mariæ, laus ac veneratio per omnes generationes.

Chorus. Tota pulchra es Maria et macula originalis non est in te.

Archidiaconus. Sanctissimo Domino Nostro Pio, S. Ecclesiæ Catholicæ supremo gubernatori et capiti, cuncta prospera.

Chorus. Pontificem summum, Patremque dilectissimum, sospitem nobis conserva, clementissime Domine: ut diu feliciter regat Ecclesiam tuam, fideles consoletur, errantesque in viam salutis reducat.

Archidiaconus. Illustrissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo nostro, pax et felicitas.

Chorus. Accende illum, Domine, amore tui nominis, et zelo animarum sibi commissarum. Repone illi coronam gloriæ, pro tua immensa misericordiæ.

Archidiaconus. Illustrissimis Patribus, qui ad Synodum læti convenerunt, summæ gratiæ, felixque reditus ad sua.

Chorus. Summæ gratiæ, omniumque bonorum adpre-

catio. Angelus Raphael sit illis in itinere custos et protector; sitque ingressus eorum in domum quies habitantium pax dissidentium, lætitia omnium credentium.

Archidiaconus. Omnibus orthodoxam fidem S. Romanæ Ecclesiæ profitentibus tranquillitas et in unitate fundata pax.

Chorus. Salva populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ; et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Archidiaconus. Decreta nostræ Synodi accurate servantes, et S. Matri Ecclesiæ in omnibus obtemperantes, intercedente beatissima et immaculata Virgine Dei Genitrice Maria et omnibus sanctis, per misericordiam omnipotentis Dei, ad vitam perveniamus sempiternam.

Chorus. Fiat! fiat! Amen! Amen!

PARS II.

DECRETA

SYNODI PROVINCIALIS HALIFAXIENSIS,

HABITÆ IN ECCLESIA METROPOLITANA S. MARIÆ.

ANNO 1857.

I. DE APERIENDA SYNODO.

In Nomine Sacrosanctæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Nos Guillelmus Walsh miseratione Divina Archiepiscopus Halifaxiensis, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis et Salvatoris nostri Jesu Christi, et honorem Beatissimæ semperque Immaculatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum, ad ædificationem Ecclesiæ Dei, ad abusus corrigendos, pietatem fovendam et zelum animarum augendam in Clero et populo;

Statuimus et decernimus, de consilio et consensu Illustrissimorum et Reverendissimorum Dominorum hujus Provinciæ Halifaxiensis Episcoporum hoc ipso die qui est VIII. mensis Septembris hujus anni millesimi octingentesimi, quinquagesimi septimi, Deo adjuvante, initium fieri et jam factum esse hujus Synodi Provincialis Halifaxiensis apud Ecclesiam Metropolitanam S. Mariæ de Halifax quam ad hanc diem et locum convocavimus et indiximus per Litteras Nostras, Kalendis Mensis Maii currentis anni, datas.

Concedat Misericors Deus ut omnia cœpta vel absoluta in hoc Concilio ad majorem Ipsius honorem et salutem animarum proficiant.

II. DE MODO VIVENDI IN CONCILIO.

Cum sicut testatur Scriptura omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit, descendens a Patre luminum atque frustra vigilat qui custodit civitatem nisi Dominus custodierit eam, ad Illum nostra dirigenda sunt corda, "ex Quo omnis nostra sufficientia est."(1)

Quamobrem omnes qui huic Synodo intersunt enixè monemus et hortamur ut in ipsa viventes sicut decet 'ministros Christi' et 'domesticos fidei' assidue divinam implorant opem, atque continuas Deo preces effundant ut 'sedium suarum assistricem sapientiam' (2) de cœlo mittens, Spiritus Sancti gratia corda nostra illuminet ac ad faustum perducat exitum deliberationes nostras.

Omnes igitur sacris meditationibus vacent et sacrosanctum Missæ sacrificium vel quotidie celebrent vel eidem devote assistant. Horas canonicas digne studeant recitare, et omnia quæ de ratione vivendi a Sacrosancta Tridentina Synodo tam salubriter tradita sunt, accuratè observent.

In Congregationibus, omnia in charitate fiant; et in sententiis omne cum libertate proferendis, brevitas atque modesta sermonis gravitas adhibeantur.

III. DE PRŒJUDICIO EVITANDA.

Si aliquis error circa ordinem sedendi vel loquendi, vel circa titulos, honores præeminentias seu privilegia in hac

(1) II Cor. iii. 5.
(2) Sapiens. ix. 4.

Prima Synodo irrepserit, nullum jus novum ideo acquiri vel præjudicium offerri, declaramus atque decernimus.

IV. DE OFFICIALIBUS.

Jam vero ut omnia ordinatè procedant et ad finem ritè deducantur, ad officia illis respectivè attributæ, sequentes eligimus, scilicet :

Promotorem : Illmum. ac Rm. Thomam Ludovicum Episcopum Sancti Joannis in Novo Brunopol.

Secretarios: Rev. Joannem Cameron, S. Theol. Doctorem, et Rev. Edvardum Butler.

Cæremoniarios : Rev. Patritium L. Madden, et Rev. Joannem Woods, Ecclesiæ Metropolitanæ Canonicos.

Cantores : Rev. Patritium Power, Ecclesiæ Metrop. Canonicum, et Rev. Philippum Holden.

V. DE CAUSARUM PERSONALIUM JUDICIBUS CONSTITUENDIS.

Quæ jura vel actus respiciunt personarum graviora Synodi negotia impedire non debent. Quapropter in hujusmodi causis judicem constituimus Illmum. ac Rmum. Dominum Episcopum Carolinapolitanum cum duobus Presbyteris assistentibus, scilicet Adm. Rev. Jacobo Dunphy, Capit. Metropol. Decano, et Adm. Rev. Alexandro McDonald, Diœces. Arichatens. Vic. Generali ut etiam de absentium atque discedentium a Synodo excusationibus plenè inquirentes ad nos deferant.

VI. DE NON DISCEDENDO.

Porro, virtute sanctæ obedientiæ et sub pœnis in jure constitutis, omnibus et singulis qui ad hanc Synodum convenerunt, districtè præcipimus ne ante exitum Synodi atque decretorum subscriptionem discedant sine Patrum licentia, rationabiles ob causas obtenta.

VII. DE FIDE CATHOLICA.

Christus Jesus, Qui est Fidei Catholicæ 'Auctor atque Consummator,'(1) ut nos de fundamentalis hujus virtutis necessitate plenius instrueret, Apostolos Suos ad totum terrarum orbem evangelizandum mittendo, hæc verba verè formidanda continuò subjunxit. 'Qui non crediderit condemnabitur.'(2) Alio etiam in loco dixit, 'Qui non credit jam judicatus est.'(3) Hinc quam magna cura adlaborandum sit, ut æterna ista condemnatio, atque tremendum evitentur judicium nemo est qui ignorare debet. Regnum Dei nunquam possidebit qui Deo placere non studat. Atque Deo sine fide placere omnino esse impossibile, doctrina declarat Apostoli.(4) Inde ergo sumamus constitutionum nostrarum exordia, unde humana salus initium, atque omnis justificatio fundamentum sumit et radicem.(5)

Quidquid igitur Sacrosancta Apostolica Romana Ecclesia de fide divina credendum proponit, non solum ex intimo corde credimus sed etiam ore salubriter profitemur, agnoscentes totam veritatis doctrinam a Christo acceptam, Apostolos huic Ecclesiæ cum sanguine tradidisse.

Et sicut Orthodoxæ Fidei fundamentum in inconcussa beati Petri Cathedra ab ipso Domino positum est, S. Romanam Ecclesiam totius orbis magistram et matrem constantissime declaramus, atque filiali prosequimur observantia. Huic centro unitatis arctissime adhæremus, ut inde unitatem spiritus in vinculo pacis servemus unde

---

(1) Heb. xii 2.
(2) Marc. xvi. 16.
(3) Joan. iii, 18.
(4) Heb. xi, 6.
(5) Conc. Trid. Sess. vi, c 3.

unitas Sacerdotalis exorta est. Quare Romanum Pontificem tanquam Ecclesiæ Catholicæ caput in terris visibile, et successorem B. Petri Principis Apostolorum agnoscimus et veneramur. Ille sine dubio Christi vicarius, Episcopus Episcoporum atque omnium fidelium Pater et Doctor est, qui Primatum in orbe tenet universo, qui universalem ecclesiam, oves et agnos, pascendi, regendi et gubernandi, potestatem plenam ab Ipso Domino per B. Petrum consecutus est. " Nam soliditas illius Fidei quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est; et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit."(1) Ex toto credimus corde quidquid Romana de fide divina credendum proponit Ecclesia, et quidquid rejicit, rejicimus atque damnamus.

Quocirca errores omnes contra fidem a Romanis Pontificibus proscriptos nos etiam proscribimus et anathematizamus.

Præterea, hunc nostrum debitum honorem, observantiam et reverentiam erga S. Sedem Apostolicam exhibentes beatissimo Patri nostro Pio Divina Provid. Papæ IX. gratias quam maximas et debemus et agimus atque cum omni humilitate et amore deferimus, pro immenso quidem beneficio in erectione Provinciæ hujus Ecclesiasticæ nobis, nostrisque Ecclesiis collato.

Et sicut ejus in nos animi benigni et paterni argumentum tam perspicuum accepimus, ita volumus ut ante finem hujus Synodi Litteræ ad Sanctissimum Dominum conscribantur in quibus devoto cordis affectu grates rependantur atque omnium nostrum filialis exprimatur reverentia.

(1) S. Leo, Serm. 2.

VIII. DE FIDEI PROFESSIONE EMITTENDA.

Decretis S. Concilii Tridentini Summorumque Pontificum constitutionibus inhærentes, præcipimus ut intra terminos præscriptos, Professionem Fidei juxta formam Pii IV. in bulla "*Injunctum nobis,*" anno 1564 editum, emittant:

1. Episcopi recens de Beneficiis Eccles. provisi in Provinciale seu Diœcesana Synodo primo celebranda.
2. Vicarii Generales.
3. Canonici post possesionem obtentam, in ipso Capitulo et infra duos menses in manibus Episcopi seu Vicarii Generalis.
4. Omnes curam animarum recipientes infra idem tempus in manibus Epi. seu Vic. Generalis.
5. S. Theologiæ, Juris Canonici vel Philosophiæ professores in Seminariis seu Collegiis.
6. Et omnes alii, quamvis hic non recensiti, qui de jure tenentur, et qui pro negligentia in re tam magni momenti, non solum pœnis adversos contumaces a Pio IV. latas, sed etiam aliis subjiciuntur Episcoporum arbitrio ferendis.

IX. DE FIDE SERVANDA.

Quo magis Fides cunctis mundi divitiis omnibusque rebus humanis longe anteponenda est, eo cura majore et indefessa vigilantia tueri debet. Unde Sacerdotes in vinea Domini laborantes, per viscera misericordiæ Dei nostri rogamus ut Fidei Catholicæ necessitatem et excellentiam populo frequenter exponant, astutias versipelles magistrorum errores planè detegant, atque horribile judicium denuncient apostatarum qui in manus Dei vi-

ventis prolapsuri sunt. ([1]) Semel illuminati et doni cœlestis participes effecti erraverunt a fide, et Filium Dei quem cruci rursum affixerunt et ostentui habuerunt, venientem quoque Judicem trementes aspicient. ([2]) Istos ingratos et miserabiles qui Salvatorem nostrum in terra negaverunt, coram Patre suo et Angelis in cœlo negabit in æternum.([3]) Super muros Jerusalem, scilicet, Sanctam Dei Ecclesiam, custodes positi sumus, ideoque nec nocte nec die tacere debemus, sed potius incessanter clamare ut sobrii semper et cum oratione vigilantes cives sanctorum et domestici Dei, fortes in fide resistant adversario, et sic "vitam illam confidenter expectent quam Deus certo daturus est iis qui fidem suam nunquam mutant ab Eo." ([4])

1. Sollicitudinem maximam Sacerdotes ostendant in educatione christiana juventutis procuranda. Scholis continuò invigilent, et parentes tempestivè moneant ut liberos suos ab iis locis amovere curent ubi amittendæ fidei periculo exponuntur.

2. Parentes frequentius instruant de eorum obligationibus in re tam gravi, et si liberos suos vel ad scholas periculosas mittant vel alio modo fidei naufragio exponant, ubi opus sit puniantur etiam Sacramentorum privatione, nam si quis suorum et maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.

3. Quoniam hodie libri pestiferi contra fidem, pietatem, et bonos mores ubique per ministros Satanæ sparguntur, curent Sacerdotes ut a grege suo omnino rejiciantur, et

(1) Heb. x, 31.
(2) Heb. vi, 4.
(3) Matt. x, 33; Luc. xii, 9.
(4) Tobiæ. ii, 18.

serpenti veneno antidotum præbeant, in libris piis disseminandis.

4. Non solum in Ecclesiis sed etiam in Scholis Doctrina Christiana pueris edoceatur tum a Sacerdote tum ab aliis ab illo probatis. Pro hac Provincia, auctoritate hujus Synodi præpareter Triplex Catechismus in Anglico scilicet et Gallico sermone, necnon in lingua Celtica; et obtenta venia S. Cong. cui Catechismi exemplar submittatur.

5. Persæpe in odium religionis, et fidei labefactandæ studio, heterodoxi suos servos Catholicos vel alliciunt, vel cogunt suis precibus privatis assistere. Talis consuetudo omnino aboleatur, et seriò admoneantur famuli ut servitium periculosum dimittant, si jus liberè exercendi Religionem Catholicam iis denegetur, quia melius est omnia sufferre et ipsam vitam profundere quam animæ detrimentum tolerare.

6. Omnibus notum est quanto studio laborant Ecclesiæ Catholicæ hostes vaferrimi ut pauperes indigenas, in hac Provincia qui ad varios Tribus pertinent, blanditiis et largitionibus ab orthodoxa fide seducant, atque apostatas et filios Gehennæ efficiant. Catholicos indigenas sic miserè vexatos zelo et paternæ caritati nostrorum presbytorum in Domino commendamus. Frequenter eos visitent et in fide confirment et a luporum morsibus tueantur. Optaremus valde ut temporibus et locis præfixis errantes indigenæ congregentur ad audiendum verbum Dei, et Sacramenta suscipienda. Hortentur cæteri fideles ut caritatis opera indigenis exhibeant, atque omni quo possunt modo corroborent illos in fide.

7. Et quoniam sermo est de Fide, rogamus omnes dilectos filios, tam clerum quam populum, ut hanc virtu-

tem summa fiducia ponant sub patrocinio Beatissimæ Virginis Mariæ quæ cunctas hæreses sola interemit in universo mundo, et Quæ beata fuit quia credidit. Hanc Immaculatam Dei Genitricem, Hanc Reginam Angelorum et Sanctorum omnium sine labe originali Conceptam, et ab omni macula singulari Dei beneficio custoditam toto cordis affectu veneramur atque pro speciale Patrona hujus Provinciæ Halifaxiensis, eligimus et in hanc rem supplicem dabimus SSmo. D. N. Papæ libellum. Atque hic nobis exprimere licet maximam quo perfusi sumus gaudium, eo quod, die in æternum memorabili octava scilicet Decembris, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto, quando Decretum Infallibile de Conceptione Immaculata Genitricis Dei a Beatissimo Patre Nostro Pio Divina Providentia Papa Nono, in templo Vaticano solemniter est promulgatum, Reverendissimus Metropolitanus noster adstans fuerit inter Antistites ex toto orbe Catholico, et sic devotionem et venerationem profundam omnium Catholicum in hac Provincia erga Gloriosissimam Dei Matrem exhibuit, et præterea testis fuit fidelis de unanimi omnium consensu quod Illa nunquam labe originalis peccati maculata fuerit, sicut tum tanquam Dogma Fidei Catholica definitum est.

X. DE SACRAMENTIS.

Per septem novæ legis Sacramenta a Christo Domino instituta, aquas ad vitam æternam salientes hauriunt fideles de fontibus Salvatoris.

Sine gratia divina per Jesum Christum, coram Deo justificari non possumus. Ita nos docent Patres Tridendentini,[1] qui etiam tradunt, Sacramenta a Christo

(1) Sess. VI. Can. 1.

instituta esse, ut per ea " omnis vera justitia vel incipiat vel cœpta augeatur, vel amissa reparetur."(1) Hinc facile colligi potest quam maximè nobis incumbet plene cognoscere, fideliter administrare, atque devotè suscipere ista salutis media, tam necessaria, quibus nihil sanctius, nihil augustius unquam est institutum.

In his divinis institutionibus, Sacerdos Summus et Pontifex futurorum bonorum, fructus uberrimos sacrificii ad multorum exhaurienda peccata semel ab Ipso in ara crucis oblati, animabus fidelium, per nostrum communicat ministerium. Nos, Ecclesiæ Sacerdotes, ministri ejus sumus et dispensatores istorum mysteriorum Dei. Quare omnino oportet omnem reverentiam, devotionem et curam in administratione Sacramentorum adhibere, ne quid negligentiæ vel erroris, vel scandali in eisdem administrandis incurrat. Qui pertractat ea quæ sancta sunt, sanctus esse debet; qui sordes aliorum diluere curat, ipse et ab omni inquinamento mundus sit. (2)

Omnia quae circa Sacramentorum administrationem sive in Rituali Romano, Rubricis Missalis, vel Pontificali Romano, ab Ecclesia præscribuntur, diligenter addiscenda sunt, atque accuratè observanda. Sacramentorum Dispensator, in re tam magni momenti, non solum ipse instructus et fidelis inveniri debet, sed etiam populum christianum de eorum institutione, efficacia, usu, dignitate, et fructibus salutaribus instruere tenetur. Et quando commodum et utile videbitur, adstantibus exponat naturam, utilitatem, effectus et cæremonias Sacramenti quod administrat, ut fidem, charitatem, et devotionem in iis excitet, atque eorum animos ad rerum cœlestium cogitationem erigat.

(1) Sess. VII. Procem.
(2) S. Greg. Mag.

1. In quantum fieri poterit, Sacramenta in Ecclesiis administrentur.

2. Ad amussim serventur omnia quæ in Rubricis præscripta sunt, juxta ritum Romanum.

3. Nisi necessitas obstet, vel circumstantiæ loci aut temporis prohibeant, veste talari, superpellicio et stola indutus sit sacerdos dum sacramenta administrat.

4. In sacramentorum administratione sedulo cavendum est ne aliquid fiat quod nefandum simoniæ crimen, vel avaritiam, seu turpe lucrum sapiat, et nunquam denegentur Sacramenta sub prætextu quod oblationes consuetæ non sint tribuendæ. Qui secus facit infidelis est dispensator, Christi ministerium vilipendit, pusillos Ejus scandalizat et talis delinquens noverit se ad arbitrium Ordinarii districtè esse puniendum.

XI. DE BAPTISMO.

Baptismi Sacramentum in ordine Sacramentorum primum obtinens locum, janua est per quam ad alia intratur Sacramenta, et ex omnibus maximè necessarium est. Hinc divina permisit misericordia ut a quolibet homine valide conferri possit. Inter innumeras Protestantium sectas, errores plurimi circa hoc sacramentum sparguntur, et quod omnium errorum est caput, sæpe etiam ipsius Baptismi ad salutem necessitas, omnino, et impie denegatur. Oportet ergo ut incorrupta Ecclesiæ Catholicæ doctrina super hoc regenerationis Sacramento, verbis claris et perspicuis sæpius populo tradatur, atque etiam modus et forma illius ministrandi in casu necessitatis diligenter exponatur, quod de obstetricibus specialiter dictum sit.

1. In unaquaque Ecclesia, ubi commodè fieri potest

erigatur Fons Baptismalis, et citra necessitatem in Ecclesiis semper conferatur Baptisma.

2. Omnia quæ ad hujus Sacramenti administrationem necnon aquæ baptismalis benedictionem in Rituali Romano præscripta sunt, strictè observentur.

3. Baptizari possunt infantes parentibus Acatholicis nati, si consenserint eos in orthodoxa religione educandos esse per idoneam Catholicam personam, sed Patrinus vel Matrina debet esse Catholica.

4. Infantes Acatholicorum in articulo seu moraliter certo imminentis mortis periculo constituti, omnino baptizari debent si occasio sese dederit.

5. Liber Baptizatorum, ab unoquoque Sacerdote qui curam animarum gerit, caute servetur, in quo, sub gravi obligatione tenetur Baptizatorum, Parentum, necnon Patrini et Matrinæ nomina in forma præscripta inserere.

6. Moneantur fideles ut nullam faciant moram in parvulis eorum præsentandis ad sacrum regenerationis lavacrum.

7. Preces et cæremoniæ quæ in privato Bapt smo fuerint omissæ semper sunt supplendæ si supervixerit infans.

8. Sacerdotes, omni quo possint modo, horribile scelus Chirurgicorum, seu medicorum impediant qui infantem occidere in utero volunt. Omnis fœtus quantumvis exiguus baptizetur sub conditione si dubitetur, absolute si constet de vita.

XII. DE CONFIRMATIONE.

In hisce regionibus nihil intentandum relinquunt a versarii nostri ad labefactandam Catholicorum fidem. Quo

circa 'Spiritu Principali' (1) confirmatos nos esse oportet, ad eorum nequitiam repellendam. Jamvero in Confirmationis sacramento, 'spiritu promissionis' (2) signamur et salutis ungimur chrismate, ut bonum certamen certantes, fidemque servantes adversario nostro diabolo et membris ejus invicta fortitudine resistamus. Qui culpa sua se privat tam copiosa Spiritus Sancti gratia, et fidem et salutem suam innumeris exponit periculis. Quare omnes adhortandi sunt ut tempestivè et debitis cum dispositionibus ad Sacramentum accedant, quod tutamen et propugnaculum Fidei merito vocari possit.

1. Pueros ante septennium ad Confirmationem admittere non volumus, nisi periculum mortis aliter suadeat, vel alia causa sufficiens.

2. Hoc sacramentum suscepturi, in Doctrina Christiana sint sufficienter instructi, et præsertim in omnibus quæ sacramentum ipsum respiciunt; et ad Confessionis tribunal accedant.

3. Habeatur Confirmatorum Registrum in quo nomen Patrini seu Matrinæ scribatur.

XIII. DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA.

De augustissimo Altaris Sacramento et Sacrificio cum reverentia et amore tractaturi, quo aptius utamur exordio quam Urbani Quarti, felicis recordationis, verbis, qui mirum in modum devotionem saluberrimam et affectuosissimam erga sacratissimum Corpus et sanguinem pretiosissimum Domini per universam extendit Ecclesiam?

"O Excellentissimum Sacramentum! O adorandum, venerandum, colendum, glorificandum præcipuis magni-

---

(1) Ps. l. 14.
(2) Ephes. i. 13.

ficandum laudibus, dignis præconiis exultandum, cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum obsequiis et sinceris mentibus retinendum! O Memoriale nobilissimum, intimis commendandum præcordiis, firmiter animo alligandum, diligenter reservandum in cordis utero et meditatione ac celebritate sedula recensendum."

In Eucharistia continetur omnium Sacramentorum Auctor, omnis gratiæ Fons, estque vere realiter et substantialiter Corpus et Sanguis una cum Anima et Divinitate D. N. J. C. In Eucharistia Salvator Noster charissimus suos qui sunt in mundo diligit in finem, et in eos divitias sui amoris veluti effudit. Delicias suas esse cum filiis hominum in hoc mysterio satis superque demonstrat. Ecce nobiscum est et cum Ecclesia sponsa sua usque ad consummationem sæculi, Deus noster absconditus. Qui ignis consumens est, Quo nos pascimur, Cui nos unimur, et, facti unum Christi corpus et una caro, merito gloriari possumus, quod "non est alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster".(1) Semel, in cruce, vitam et sanguinem nobis profudit; et "hanc majorem dilectionem quam nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis," (2) nostris condolens miseriis, erga nos exhibuit. Porro ut tanti amoris et memoriale perenne extaret et fructus, cœleste convivium instituit, panem angelorum homini manducandum dedit; et, in memoriam omnium mirabilium suorum, escam dedit timentibus se. Elegit enim Dominus Sion, Ecclesiam scilicet Suam, elegit eam in habitationem Sibi, et sic nobiscum est usque ad consummationem sæculi.

(1) Deuter. iv. 7.
(2) Joan. xv 13

1. Cum magna cura et reverentia sub clavi custodiatur SS. Eucharistia et clavem nullus alius nisi Sacerdos penes se habeat. Nihil aliud præter SS. Sacramentum in Tabernaculo poni debet, et lampas continuè luceat coram SS. Sacramento.

2. Ubi propter necessitatem in domo Sacerdotis asservatur SS. Eucharistia, enixè hortamur, ut in aliquo loco, decenter ornato, et ab omni usu profano segregato, reverenter custodiatur.

3. Singulis annis in Dominica Quinquagesima et in capite Jejunii Quadragesimales, feria scilicet quarta Cinerum, Decretum Concilii Lateranensis Quarti, quod incipit "Omnis utriusque sexus" populo in Ecclesia annuncietur, et greges suas moneant Sacerdotes ut hoc tam salutare præceptum infra tempus præscriptum adimpleant.

4. Quoniam maximè interest ut prima Puerorum Puellarumque communio congruis dispositionibus fructuque magno suscipiatur, sacerdotum zelo commendamus, ut Christiana Juventus de natura et effectibus hujus cœlestis convivii, præviis, et repetitis instructionibus, sedulo sint eruditi. Eos, ante Corporis Domini perceptionem, sæpe ad sacrum Pœnitentiæ tribunal accedere debere, haud videtur dictu necessarium. In unoquoque Districtu, juxta locorum circumstantias, statuatur tempus præfixum pro prima Communione singulis annis facienda.

5. Ad pietatem fidelium erga Divinam Eucharistiam augendam summoperè conduceret si devotio "Quadraginta Horarum" dictæ, ubicumque statutis temporibus introduceretur sicut in nostrarum Ecclesiarum pluribus jam antea factum sit cum magno animarum fructu.

Non solum hanc, sed et fundationem Sodalitatis SSmi.

Sacramenti necnon Doctrinæ Christianæ Confraternitatem, iis in locis ubi non existunt, hujus Provinciæ Sacerdotibus multum in Domino commendamus.

6. Si non cesset periculum, non tantum semel sed frequentius in eadem infirmitate S. Viaticum administrari debet.

7. SS. Sacramenti Benedictio quæ fit per Ostensorium nunquam sine Episcopi licentia dari potest. Idem dictum sit de solemni expositione Sanctissimi, et de processionibus quæ a Rubricis non permittuntur.

8. Processiones solemnes et publicæ quæ in multis hujus Provinciæ partibus per Octavam Corporis Christi fiunt, omnino retineantur.

9. " Si non decet ad ullas sacras functiones quempiam accedere nisi sanctè: certè quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat...... Nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis contritus sibi videatur absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debet: quod Christianis omnibus etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris, quod si necessitate urgente sacerdos absque prævia confessione celebraverit quamprimum confiteatur." (1)

Hanc, ultimi Concilii Œcumenici admonitionem gravissimam, in omnium fidelium et sacerdotum memoriam seriò revocamus.

10. Altaria, vasa, et omnis sacra supellex, quæ ad Divinam Eucharistiam pertinent, munda saltem et nitida

(1) Conc. Trid. Sess. XIII. c. 7.

sint, et etiam, secundum facultates uniuscujusque Ecclesiæ, pretiosa. Cuppa Calicis et Pyxidis ad minus argentea sit atque intus deaurata; quod de Patena quoque intelligendum est. Paramenta præscripti coloris sint et ex holoserico facta, reliquæ vestes necnon et altaris tobaleæ ex solo lino formentur.

11. In posterum Lapides Sacros non consecrabimus nisi sint talis magnitudinis ut calicem, hostiam, et pyxidem sustinere queant.

12. Confectio panis consecrandi personis probatis committi debet. Rotundæ et satis magnæ debent esse particulæ pro populi communione; præterea maximam adhibeant sacerdotes diligentiam, adjuvantibus etiam Episcopis, ut vinum sincerum pro sacrosancto Missæ sacrificio semper obtineatur.

13. Post meridiem non incipiatur Missa, nec bis in eodem die celebrandum est, nisi consensu Episcopi cui facultas ad hoc in casu necessitatis exercenda à S. Sede conceditur.

14. Ne quis Missam celebret sine veste talari et collari Romano; biretto quoque utatur ubi commodè fieri potest.

15. Nulli Sacerdoti alieno Missam offerre permittatur nisi litteras testimoniales Ordinarii sui, aut sui Superioris Spiritualis, vel Episcopo vel Vicario Generali vel alio Sacerdoti ab Episcopo ad hoc deputato exhibuerit.

16. Hora, qua Missa celebranda est, præsertim in Dominicis, et Festis de præcepto, semper sit certa et determinata; et sine licentia Ordinarii nunquam mutetur. Ubi Sacerdos in sua missione plures habet Ecclesias, non licet, pro arbitrio, in diebus prædictis, missam celebrare in una, vel altera; sed approbante Episcopo, statuantur

dies fixi pro locorum circumstantiis, et fidelium numero.

17. In domibus privatis, vel extra Ecclesias, incruenti Sacrificii prohibetur celebratio. Ubi aliud necessitas postulat, facultas ab Ordinario petatur.

18. In omnibus diebus, ubi Missa ex præcepto est audienda, Sacerdos, ante Missam, versa stet facie ad populum, et clara ac distincta voce, Actus Contritionis, Fidei, Spei et Charitatis una cum Oratione ante Missam juxta formulam communiter receptam, devotè legat.

19. Quoniam maximè convenit ut onus Missarum pro quibus Honorarium accipitur, ad tempus non protrahatur immodicum, Statuimus, ad omnem negligentiam præcavendam, infra mensem talem esse obligationem implendam.

20. Episcopo mortuo, quinque pro ejus anima celebrentur Missæ ab unoquoque Sacerdote in ejus Diocesi, et a singulis Episcopis in Provincia. Pro defuncto Vicario Generali tres dicentur Missæ, pro canonicis duæ, pro omnibus aliis Sacerdotibus una. Hoc fraternæ charitatis opus tam sanctum et salubre quamprimum post mortem perficiatur.

21. In omnium Missarum celebratione, strictissimè serventur Rubricæ quæ Missale Romano praeponuntur; et ne maledictionem incurrat eorum qui opus Dei faciunt negligenter, præcipimus ut semel saltem in anno unusquisque Sacerdos Rubricas Generales Missalis Romani, et ordinem in celebratione Missæ servandam, studiosè perlegat.

22. Nihil quod non sit ab Ordinario probatum cantetur in Ecclesia. Cantus semper sit gravis et Ecclesiasticus et nunquam protrahatur ita ut Missæ cursum impediat ubi hoc non permittunt Rubricæ.

XIV. DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

"Quorum remiseritis peccata remittuntur eis,"(1) sunt verba clara atque perspicua quibus potestatem dimittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ Christus Dominus Apostolis tradidit. Hac potestate clavium regni cœlorum Sacerdotibus omnibus in sacra ordinatione collata, uti debent Christi Ministri, non ad perniciem sed ad salutem animarum. Quapropter ut scribit S. Franciscus Salesius "necesse est ut Confessarius charitate scientia et prudentia plenus sit, ne sibimetipsi et aliis periculosus fiat."(2) Charitas libenter præbebit non solum tempus sed laborem et patientiam quæ ad hoc munus rite implendum tam necessaria sunt. Scientia requiritur ut inter lepram et lepram judicare possimus, ut enormitatem et naturam simul ac numerum cognoscamus peccatorum, denique ut rectè statuamus juxta peccatoris dispositionis utrum peccata vel remittenda vel retinenda esse debeant, scilicet utrum absolutione dignus vel indignus sit. Et nisi Confessarius sit prudens quomodo potest remedia præcipere pro anima languente vel saucia, aut media suggerere quibus a vitio ad virtutem, a tepiditate ad fervorem et perfectionem eundum est? Qui vices Christi gerit in Sacro Tribunali, officium arduum, periculosum et vere formidandum suscipit, munia medici et judicis implet, et totis viribus cavere debet ne sua ignorantia vel negligentia tam salutaris medicina et fons gratiarum in occasionem perditionis vertatur.

Sacerdos Pœnitentiæ Sacramentum administraturus sibimetipsi applicare potest verba Christi cujus personam

(1) Joan. xx. 23.
(2) Lib. I. c. 4. Introd.

induit. "Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant"(1); venit namque ut mortuos revocaret ad vitam et ut justos redderet sanctiores.

Necesse est primum ut munda sit manus quae diluere sordes curat; et quoniam, Christus dixit "Ego pro eis sanctifico meipsum"(2) ita ejus Ministri pro faciliori peccatoris justificatione seipsum sanctificare debet.

Et sicut tradit Benedictus XIV., et ex ipsius rei natura satis apparet, Theologiæ Moralis scientiam illis omnino necessariam esse qui tanquam Parochi, aut Sacerdotes pro administrando Sacramentum Pœnitentiæ constituti, Confessarii munere rite perfungi velint"(3) ideoque semper in manibus habeant Confessarii et assidue studeant et perlegant Moralis Theologiæ libros approbatos ut regimen animarum in ædificationem Ecclesiæ fructuosè suscipiant. Admoneantur populi ut non modo semel in anno sed pluries ad hoc misericordiæ divinæ lavacrum accedant ubi Christus Ipse lavat nos a peccatis nostris in sanguine suo. Et hoc præsertim suadendum est quoties contraxerint sordes peccati, ne sub jugo Diaboli diutius obstricti mortis impœnitentis et damnationis æternæ periculo exponantur. In hujus Sacramenti administratione sequentiæ sunt observanda.

1. In omnibus Ecclesiis ubi non existunt erigantur sedes confessionales quibus crates aptentur. Ad Episcopum pertinet judicare de iis locis ubi hoc præceptum nequit impleri.

2. Confessarios omnes in Domino obsecramus ut semper sint faciles, prompti et alacres ad Confessiones fidelium excipiendos.

---

(1) Joann. x. 10.
(2) Joann. xvii. 19.
(3) Instit. 31.

3. Pro hoc munere obeundo statuantur quædam dies et horæ in unaquaque hebdomada quæ populo magis opportunæ fuerint.

4. Quantum fieri potest, confessiones in Ecclesia audiantur, et quandocunque in casu necessitatis aliter fit, semper audiantur in loco conveniente, januis patentibus.

5. Sacerdos in Confessionali sedens, supra vestem talarem superpelliceo et stola violacea vel saltem stola super vestem talarem utatur.

6. Nunquam sub quocunque protextu pecuniam recipiat in Sacro Tribunali.

7. Quando cum rudioribus versatur eos de mysteriis fidei Confessarius diligenter interroget.

8. Sacerdos ad confessiones excipiendus approbatus, pro tota Diocesi hanc jurisdictionem habet, quam tamen extra suum Districtum exercere non debet invito loci Missionario.

9. Cum Clerici ad deponenda sua peccata accedunt ne paramentis sacris vel etiam superpelliceo induti sint.

10. Omnia quæ a Benedicto XIV. in Bullis "*Sacramentum Pœnitentiæ*" et "*Apostolici Muneris*" et ab aliis Romanis Pontificibus de sollicitatione statuta sunt strictissimè observari volumus.

11. Meminerint Sacerdotes secundum doctrinam Concilii Tridentini, alienorum peccatorum illos fore participes, nimus indulgenter cum pœnitentibus agentes, levisima quædam opera pro delictis injungant gravissimis. Proinde congruam satisfactionem semper imponant juxta prudentiæ, pietatis et justitæ normam.

12. Facultas audienda confessiones nullo modo comprehendit potestatem absolvendi in casibus reservatis, nec confessiones monialium excipiendi, nam ad hæc requiritur specialis facultas.

XV. DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Benignus et misericors Deus qui per alia Sacramenta ad justè et piè vivendum dat gratiam, Sacramentum Extremæ Unctionis pro ultimo militiæ nostræ super terram conflictu instituit, ut in hora mortis hostem vincere et, cursu feliciter consummato, coronam legitimè certantibus promissam recipere mereamur.

Hujus Sacramenti præcipuos effectus Jacobus Apostolus his verbis commemorat, "Oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus et si in peccatis sit remittentur ei," (1) nam ut a Patribus Tridentinis explicatur in hoc Sacramento largitur "gratia Spiritus Sancti cujus unctio, delicta si quæ sint adhuc expianda ac peccati reliquias abstergit; et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, quo infirmus sublevatur et morbi incommoda et labores levius fert, et tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur," (2) Ex quibus facile colligi potest quantum esse debeat Sacerdotis studium ut ovibus suis periclitantibus non desit in illo tempore tentationis supremæ de quo nos admonet prædictum S. Sanctum Concilium quod "etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat et captet ut devorare animas nostras quoquo modo possit; nullum tamen tempus est quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus et a fiducia etiam si possit divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis vitæ exitum perspicit." (3)

(1) Jacob. v, 15.
(2) Sess. XIV, c. 2.
(3) Ibid.

1. Oleum infirmorum custodiatur in loco decenti clave obserato, et ubi fieri potest in Ecclesia vel Sacrario.

2. Summa cura invigilet Sacerdos ne quis fidelium sibi commissorum è vita discedat quin prius inunctus fuerit, atque ad extremum cum hoste luctamen roboratus.

3. Moneantur sæpius populi teneri se Sacerdotem ad infirmum vocare statim ac morbus ingravescere videatur, ne aliquis hac corporis et animæ medicina privetur.

4. Hortetur Sacerdos ægrotum ante hujus Sacramenti administrationem temporalia sua disponere, testamentum condere, si sit necessarium, aliena restituere si opus sit, atque pauperibus vel piis usibus providere si facultates suæ hoc permittant, ut peccata sua eleemosynis redimens et amicos faciens de mammona iniquitatis, recipiatur ab eis in æterna tabernacula.

5. Dum hæc monita salutis tradet, caveat omnino Sacerdos omnem avaritiæ suspicionem, et omnem injustitiam vel duritiam versus ægroti familiam. Nunquam scribat ipse testamentum alicujus ægroti nisi deficiente quocunque alio idoneo, et in omnibus ita se gerat "ut non vituperetur ministerium nostrum." (1)

6. Si quis indigne (quod absit) hoc sacramentum susceperit, ne iterum inungatur in eodem morbo (nisi diuturnus sit ut si cum infirmus convaluerit iterum in periculum mortis inciderit) sed facto confessione cum debitis dispositionibus absolutionem, eucharistiam et plenariam in articulo mortis indulgentiam accipiat.

7. Si infirmus de morbo convaluerit iterumque in periculum mortis sive ex eodem vel alio morbo inciderit, Unctio Extrema iterari debet.

(1) II Cor. vi, 3.

XVI. DE SACRAMENTO ORDINIS.

"Nemo sumit sibi hunc honorem, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron."(1) Imo Christus Ipse, sicut subdit Apostolus seipsum non glorificavit ut Pontifex fieret sed ab Æterno Patre sempiternum suscipit sacerdotium.

Quibus divinis testimoniis liquidò constat vocationem Dei omnino esse necessariam ad ordines sacros dignè suscipiendos, ideoque singulis Episcopis gravi monitione dicit idem Apostolus "Manus citò nemini imposueris."(2) Quid magis prodest hominum saluti vel Ecclesiæ decori quam ut fideles tantum dispensatores in domo Dei constituantur; aut quid majoris detrimenti christiana patitur respublica quam cum fures et latrones, indigni scilicet pastores, aliunde præter ostium intrant in ovile? Quapropter episcopalis sollicitudinis munus est præcipuum, maximam adhibere curam in iis seligendis qui ad talem honorem et onus tam formidandum sunt promovendi. Quam innumera mala, soli Deo cognita, Christiano populo afferuntur etiam per unum Sacerdotem indignum! Meminerint Episcopi districtam rationem Deum ab eis exacturum esse de omnibus quæ ad ordinum sacrorum collationem pertinent, unde ea cuncta quæ in materia tam gravi ab Ecclesia et a S. Canonibus præscripta sunt, summo studio observare debent.

1. Moneantur parentes eos graviter peccare si ob mundanas rationes, ecclesiasticum statum liberos suos vel eligere vel rejicere compellunt.

2. Edoceatur populus ut si aliquam culpam gravem et publicam in iis cognoscat qui pro sacro ministerio

(1) Heb. v. 4.
(2) I Tim. v. 22.

candidati sunt, vel in eorum familiæ aliquam infamiæ notam quæ in Ecclesiæ dedecus redundaret, illos coram Deo teneri talia facere tempestivè nota, ut repulsis indignis, honori sacerdotalis ordinis atque Ecclesiæ utilitate consulatur.

3. Priusquam studia Ecclesiastica inceperint, examini subjiciantur omnes candidati.

4. Habeantur Ordinationes in Ecclesiis Cathedralibus ubi fieri potest, et in temporibus a jure statutis. Serventur quoque interstitia ut uniuscujusque Ordinis officia clericus cognoscere et implere possit, antequam ad alium promoveatur.

XVII. DE SACRAMENTO MATRIMONII.

" Sacramentum hoc magnum est in Christo et in Ecclesia"(1) Magnum est quia per hoc divinitus constituitur unio sancta conjugum super quam totius societatis fundamentum est positum, et Ecclesiæ membra usque ad finem mundi rite crescunt et legitimè multiplicantur. Præterea Matrimonium est mystica quædam representatio unionis sanctæ et indivulsæ Christi Domini Salvatoris nostri cum Ecclesia Sponsa Sua. Unde Paulus Apostolus conjuges admonens de mutuo usque ad mortem amore, exemplar Christi Ipsius Sponsam Ecclesiam etiam ad sanguinem diligentis his verbis proposuit, "Viri diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam".(2) Nihil ergo nisi sanctum, nihil impudicum nihil quod non sit fide plenum in Christianorum connubiis reperiri debet.

'Primum ergo in conjugio religio quæratur', dicit Sanctus Ambrosius, quia cum sancto sanctus eris et cum

(1) Ephes. v. 32.
(2) Ephes. v. 25.

perverso perverteris. Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro et unus spiritus est? Quomodo autem potest congruere charitas si discrepet fides? Hinc nunquam destitit Ecclesia, filios suos a connubiis mixtis deterrere, quia divinitus edocta periculum multiplici ex capite istis infaustis conjunctionibus inesse cognovit.

Jure divino conjugia cum Infidelibus Hebraeis interdicta sunt. "Neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo quia seducet filium tuum ne sequatur me." (1)

Tristi experientia compertum est eamdem rationem contra Catholicorum conjugium cum hæreticis vel schismaticis invicti militari. Proinde si ab Apostolis moneamur "hæreticum hominem . . . . . . devitare" (2) et cum hujusmodi nec cibum sumere quanto magis connubium cum eo reformidare debemus?

Meritò quidem gloriamur in pietate populi nobis commissi qui in omni hujus Provinciæ parte formidolosa hujusmodi respuunt connubia quæ non solum juri naturali et divino minus consentanea sed etiam sacris Ecclesiæ canonibus sunt interdicta. Hanc disciplinam salutarem apud nos pluribus annis et magno animarum fructu vigentem, totis viribus conservari volumus, et zelo dilecti nostri cleri enixè commendamus. Cum nubunt fideles "nubant tantum in Domino" (3) sicut Apostolus præcipit et sacrilego vinculo inimicis Ecclesiæ Dei sese non conjungant. Ex animo et penitus abhorreant ista detestanda connubia quæ S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit et interdixit, illa Ecclesia, dicimus

(1) Deuter. vii, 3.
(2) Tit. iii, 10.
(3) I. Cor. vii. 39.

quæ Christi Ipsius est Sponsa quæ nec sanctitate nec veritate corrupta est, sed sine maculis et rugis semper gloriosa. Nihil ergo quod adulterium olet sive in moribus sive in fide inveniatur in Christianorum connubiis quæ ad vivum representare debent sancti sanctorum conjunctionem cum puritatis et veritatis sponsa.

Hic non prætereamus hominum perditorum impios ausus qui hisce temporibus Matrimonii unitatem et indissolubilitatem omni quo possunt modo contra Sacræ Scripturæ luculenta testimonia et perpetuam Ecclesiæ traditionem subvertere conantur. Quapropter anathema dicimus omnibus qui Catholicam impugnant fidem de Matrimonio sicut a Patribus Tridentinis juxta evangelicam et apostolicam doctrinam definita fuit, declarantes imprimis Christianos lege divina prohiberi ne plures simul habeant uxores, et cum Ecclesia docentes propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinclum dissolvi non posse.(1)

Hortamur etiam sacerdotes nostros ut super doctrinam Catholicam de unitate et indissolubilitate Matrimonii invigilent, ita ut "quos Deus conjunxit" duos in carne una "homo non separet "(2) nec separare tentet.

1. Sacerdotes gravi sermone sæpius instruant populos in omnibus scitu necessariis quæ hoc sacramentum attingunt. Moneant eos qui illud suscepturi sunt illos ducendos esse neque vana pulchritudine neque prava concupiscentia neque turpis lucri desiderio sed motivis sanctæ religioni omnino consentaneis.

2. Parentes acriter reprehendant qui in re tam magni momenti nulla ratione habitu eorum salutis æternæ li-

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV, Can. vii
(2) Marc. x, 9,

beros suos vel ad matrimonium ineundum adigunt vel ab illo injustè retrahunt.

3. Semper et ubique in fidelibus provocent connubiorum mixtorum detestationem quæ propter innumera mala hinc obvenientia nullo non tempore abhorruit pia Mater Ecclesia.

4. Matrimonium contracturi per præviam Confessionem et dignam S. Eucharistiæ perceptionem ad illud fructuosè suscipiendum dispositi sint.

5. Extra casum necessitatis vel specialem ab Ordinario facultatem Fidelium Matrimonia semper in Ecclesia fiant et ante horam meridianam. Enixè commendamus ut ubicumque fieri potest Missa de Sponso et Sponsa cum benedictione Sponsæ matrimonium immediate subsequatur.

6. Illius est Sacerdotis Matrimonium celebrare ad cujus Missionem vel Districtum pertinet Sponsa. Quod si Sponsus in eadem Missione non degit, habeat a Sacerdote proprio, Litteras Testimoniales de libero statu et de publicatione Bannorum sine quibus Matrimonium celebrari vetamus.

7. In Matrimoniis celebrandis absint clamor, strepitus verborum, omnis scurrilitas et jocus, et ex parte Sacerdotis, quærendi quæ sua sunt nimius ardor. Omnia gravitatem et religionem spirent, ut hoc magnum Sacramentum, sicut et alia á Christo instituta cum omni reverentia celebretur.

8. Sacerdotes monemus ut diligenti studio plenam et accuratam cognitionem de hoc Sacramento acquirant, et præsertim de omnibus Impedimentis quæ contractum matrimonialem vel prohibent vel efficiunt nullum.

9. Zelo nostrarum Clericorum enixè commendamus ut

abusus et peccaminosa consuetudo vigiliarum ante Matrimonium quæ *Veilleès* vocantur, corrigantur, vel omnino tollantur ne fideles qui sese ad Matrimonium disponunt maledictionem Domini potius quam benedictionem in suis recipiant nuptiis.

XVIII. DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

"Legatione pro Christo fungimur," (1) ideoque fideles "nos existimant ut ministros Christi et Dispensatores mysteriorum Dei." (2) Sed quæritur inter Dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Si ergo volumus esse fideles servi et prudentes a Domino super familiam suam constituti, in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros. . . . . . ut non vituperetur ministerium nostrum. Nihil a populo diligentius scrutatur quam mores et vita clericorum. Quocirca omnes Ecclesiasticos et maxime Sacerdotes, et corpore et spiritu sanctos esse oportet, quia ex hominibus assumpti pro saluti suorum fratrum constituuntur in iis quæ sunt ad Deum ut offerant dona et sacrificia pro peccatis, et reconciliatio fierent in tempore iracundiæ. (3)

Hinc vitam suam ad exemplar Summi Sacerdotis componere debent, tales enim eos decent esse, qualis et Ipse fuit; innocentes, sancti, impolluti et a peccatoribus segregati.(4) De Illius sacerdotio participantes ita virtutum Ejus et innocentiæ participes fiant ut dignè per eos Seipsum offerat.

" Sanctificabor in eis qui appropinquant mihi" (5) dicit

(1) II Cor. v. 20.
(2) I Cor. iv. 1, 2.
(3) Heb. v, I; Eccli. xliv, 17.
(4) Heb. vii 26.
(5) Levit. x, 3.

Dominus; et filios Aaron alloquens "Incensum Domini et panes Dei sui offerunt et ideo sancti erunt." (1) Porro si in figuris et sub veteri testamento tantam in Ministris suis sanctitatem Deus exegit, quanta puritas angelica in Sacerdotibus novæ legis requiritur in quorum manibus Dei Filius velut in utero virginis incarnatur. (2) De mundo non sunt sed Christus eos elegit de mundo, ut lux mundi fierent. (3) "Cum a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sument quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque rebus omnibus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant: levia etiam delicta quæ in iis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem." (4)

Maxima sollicitudine hortamur omnes qui in vinea Domini nobis collaborant ut monita et regulas quæ sequuntur devoté suscipiant, et stricte observent ad ædificationem corporis Christi et glorificationem Patris Ejus qui in cœlis est.

1. Sicut "omnis gloria Filiæ Regis ab intus est," (5) sanctificationem internam ante omnia clero commendamus. Propriæ dignitatis venerandæ consideratio seria, piarumque meditationum et lectionum assiduitas eorum mentes enutrient, spiritum ecclesiasticum fovebunt et divinæ gratiæ donum augebunt et tuentur.

2. Rorem cœli in populum refundendam ex oratione

(1) Id. xxi. 6.
(2) S. August. sup. Ps, 37.
(3) Joan. xv, 19.
(4) Conc. Trid. Sess. xxii, c. 1. de Reform.
(5) Ps. xliv. 14.

continua hauriant et non solum dignè, attente, ac devotè, officium recitent divinum, sed orationi mentali sine qua vix possunt salvari, quotidie et indesinenter incumbant.

3. Externa corporis ratio sanctitati internæ omnino respondeat. Semper et ubique " exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate,"(1) Sciant in Sacerdotibus nihil plebeium requiri, nihil populare nihil commune cum studio et usu inconditæ multitudinis et quod sobriam a turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas vindicet Sacerdotalis. (2)

4. Ad "ignominiam sæcularis habitus".(3) quem, in sortem Domini ingredientes deposuerunt non revertantur, sed per formam et vestium colorem a laicis discreti sint. Collari Romano omnes utantur, et ubi viget continuus et laudabilis vestis talaris usus, retineatur.

5. A spectaculis in theatris publicis, a choreis et saltationibus, a venatione clamosa, et a publicis equorum cursibus omnino abstineant. Qui moniti secus fecerint suspensionem incurrant.

6. Sicut Sacerdotis vita cum Christo in Deo debet esse abscondita, valde nocivum et indecorum esset nimiam sæcularibus habere familiaritatem. Fugiant igitur convivia frequentiora et intempestiva, et quotiescunque laicorum domos ingrediuntur memores sint Ecclesiasticæ dignitatis, et " in omnibus se ipsos præbeant exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate et gravitate." (4)

7. Sacerdotis domus ita compositus sit ut luxu mun-

(3) 1 Tim. iv. 12.
(4) S. Ambr.
(5) Pontif. Rom.
(4) Tit. ii. 7.

dano, profanoque ornatu remotis, omnia pietatem, ordinem, simplicemque munditiem spirent, et crucifixi Salvatoris Ministrum illic habitare proclament.

8. Provectioris ætatis et probatæ virtutis sint Famulæ eorum, et, in hac re Sacrorum Canonum injunctiones Episcopi facient observari. Et quoniam Castitas præcipuum decus Sacerdotii et ornamentum sit, sine qua lux mundi obscuratur, sal terræ putrescit, et mutatur color optimus, Clericos omnes rogamus et obsecramus in Domino Jesu ut istam pretiosam margaritam, et thesaurum istum quem in vasis fictilibus portamus, omni cura et studio immaculatè conservent. Non solum impudicitiæ sordes abhorreant sed ab omni specie mala omnique occasione prorsus abstineant. Sensuum custodiæ et corporis mortificationi ferventem adjungant orationem, scientes quoniam donum Dei continentia sit, et a Deo enixè et humiliter postulandum.

9. In memoriam eorum revocamus se esse non solum Discipulos sed Ministros Illius "qui cum esset dives, propter nos egenus factus est", (1) et qui non habebat in terris ubi caput reclinaret." (2) Quare omnem avaritiam et turpis lucri quæstum effugiant et juxta apostolicam monitionem "habentes alimenta et quibus tegantur his contenti sint."(3) Audiant iterum Doctoris Gentium vocem qui "argentum et aurum nullius concupivit," (4) sed suis laborabat manibus ut quærens solummodo ea quæ Christi erant Evangelium ejus efficacius prædicaret. "Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum

(1) II. Cor. viii. 9.
(2) Luc. ix. 58.
(3) I. Tim. vi. 8.
(4) Act. xx. 33.

Diaboli, et desideria multa et nociva quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas quam quidam appetentes erraverunt a fide. Tu autem O homo Dei hæc fuge; sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem." [1]

10. Ad turpem avaritiam e Sanctuario eliminandam Sacerdotibus aliqua Sanctorum Patrum verba proferimus. Per avaritiam, pastor in lupum convertitur, et a propriis ovibus rapit, pro quibus vitam suam dare oportet. Et sic dum in fallaci confidentia et quiete recumbit, maledictio Altissimi jam pronunciata est: Væ pastoribus qui pascebant semetipsos! [2] Avaritia omnes qui ei serviunt crudeles efficit atque feroces. Ita enim indurat cor Sacerdotis ut nemini parcat, nemini compatiatur, viduam opprimat, pupillum invadat, pauperem aggravet, nemini succurrat a quo lucrum non speret. [3]

11. Consanguineorum et propinquorum inordinatus amor vel excitat, vel auget in Clericis, detestabilem pecuniæ amorem, ex quo diversis temporibus multa mala et scandala exorta sunt in Ecclesia.

Qui carnem respiciunt et sanguinem, et bona sacro ministerio acquisita in propinquos impie profundunt præceptis Divinis et Ecclesiasticis palam resistunt, petra scandali existunt fidelibus, venerandos in Sacerdotio confratres inhonorant et corona immarcescibile quæ servis bonis et fidelibus promissa est seipsos omnino indignos reddunt. Unde omnes alloquimur verbis gravissimis Concilii Tridentini.

(1) I Tim. vi. 9, 11.
(2) S. Greg. Mag.
(3) S. Chrysos.

" Clericis omnino interdicitur ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant, cum et Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem nec distrahant nec dissipent illorum causa; imò, quam maximè potest, eos S. Synodus monet ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque, carnis affectum undè multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant." (1)

12. Ne gravia scandala (heu nimis frequentia) post mortem Sacerdotis exoriantur ex dissidiis propinquorum, præcipimus et jubemus ut unusquisque Sacerdos testamentum suum in forma legitima condat, et in loco tuto reponat, pro executione testamenti unum saltem Ecclesiasticum constituens. Si quis huic mandato parere detrectaverit a Confessario suo non est absolvendus donec officium suum adimpleverit.

13. Hi tamen qui vita superstiti, bona sua in pios usus et charitatis opera ex amore divino expendunt, omni honore dignissimos reputamus cunctisque laudibus attollendos.

14. Nullus Sacerdos contra S. Canones negotiationem exerceat sive per se sive per alios nec latifundia colat, nisi intra moderatos limites ab Ordinario præscriptos: nec bonorum saecularium tutor aut administrator vel testamenti alicujus laici Executor se nominari permittat inconsulto Episcopo: quia " nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. (2)

15. Districte vetamus ne quis Sacerdos aliquem pub-

(1) Sess. XXV de Ref. c. 1.
(2) II Tim. ii. 4.

licè in Ecclesia denuntiet, vel nominatim declarat excommunicatum sine expressa licentia Ordinarii. Opprobria et convicia nunquam ab altaria proferantur; et quando peccata corripienda sunt, erga peccatorem caritatis ordo servetur.

16. "Omnia mala docuit otiositas"(1) ideoque clericis omnibus otium interdicimus, eosque in Domino, hortamur ut "sapientes et non insipientes sint redimentes tempus, quoniam dies mali sunt."(2) Sacris studiis per totum vitæ cursum incumbant et libros noxios de rebus ineptis et mundanis tractantes rejiciant. Devotionem erga Divinam Eucharistiam et Domini nostri Passionem quæ per Eucharistiam annuntiatur, necnon erga Beatissimam Virginem Mariam sine labe conceptam in seipsis excitent, et in aliis promoveant, et nunquam prætereat dies sine visitatione SSmi. Sacramenti.

17. Ad residentiam teneri eos qui curam gerunt animarum nemo est qui ignorat. Nullus ergo sine permissu Ordinarii a Districtu spirituali suæ curæ subjecto ultra unam vel alteram diem se subtrahat quia sine residentia partes muneris Pastoralis impleri non possunt, quæ sic in Concilio Romano egregie recensentur,(3) scilicet ut pastores "plebem per se in Catholica Fide incessanter instruant, Sacramentis reficiant, infirmos visitent, moribundis adsistant, quotidianas pro populo ad Deum preces et orationes effundant, et laudabili vitæ ac conversationis exemplo, virtutibus et morum disciplina omnibus præluceant viamque salutis præmonstrent."

18. Collationes Theologicæ saltem quatuor in anno

---

(1) Eccli. xxxiii. 29.
(2) Ephes. v. 15. 16.
(3) Anno 1725. Tit. i c. 4.

in unaquaque Diocesi habeantur, et iis adesse teneantur sub pœna suspensionis omnes sacerdotes curam animarum habentes. Idem dictum sit de Secessu Spirituale singulis annis habendo, ad quem saltem dimidia pars Cleri ab Episcopo designanda, tenentur accedere.

XIX. DE EPISCOPIS.

Angeli et Principes Ecclesiæ, Successores Apostolorum et Christi Legati, sunt pauci ex titulis quibus a SS. Patribus decorantur Episcopi. Speculatores sunt super muros Jerusalem et in altissimo loco positi, dum super alios vigilant ob omnibus ipsi contemplantur. "Nec dubitandum est, aiunt Patres Tridentini, fideles reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos si præpositos suos viderint non ea quæ mundi sunt sed animarum salutem ac cœlestem patriam cogitantes." (1) Nomen Episcopi nomen est laboris potius quam honoris, ideoque intelligant "se non ad propria commoda, non ad divitias aut lucrum sed ad labores et sollicitudines pro gloria Dei vocatos esse." (2)

Cum "oporteat ergo Episcopum irreprehensibilem esse,"(3) atque aliis omnibus virtute prælucere, agnoscamus et nos officia et munia oneris nostri formidandi ut qui cæteros admonemus et ad omnem perfectionem exhortamur in Domino, ipsi "facti simus forma gregis ex animo." (4) Præceptis nostris actus non discrepant et sicut Jesus Christus Pontifex Summus incipiamus "facere et docere".(5)

(1) Sess. xxxv. de Refor. c. 1.
(2) Ibid.
(3) 1 Tim. 3. 4.
(4) 1 Pet. v. 3.
(5) Act. 1. 1.

1. Virtutis præstantiam et innocentiam vitæ cunctis viribus acquirant Episcopi et in primis juxta monitionem Apostoli sibimetipsis attendantes aliorum saluti facilius consulere possunt.

2. Cum negotia difficilia et quæstiones maximi momenti ad salutem animarum pertinentes, judicio Episcopi continuo subjiciantur, oportet eum in Divina lege, in S. Canonibus et Ecclesiastica disciplina instructum esse, ne quid detrementi ex ignorantia sua capiant fideles. Unde liquet illum teneri sacris studiis indesinenter insistere quia ex ejus ore non solum laici sed sacerdotes ipsi, sapientiam exquirent.

3. A Concilio Tridentino prædicatio Evangelii vocatur "præcipuum Episcoporum munus" quod "per seipsos tenentur implere. Si vero contigerit eos legitimo detineri impedimento viros idoneos assumere tenentur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum."(1)

4. Aliud Episcoporum officium et quidem maximi momenti est Diœcesis accurata atque canonica visitatio, quam eos facere monemus intra tempus a Concilio Tridentino præscriptum. Ut hæc Visitatio ritè perficiatur consulantur auctores probati qui de hoc munere tractant.

Curent Episcopi ut Schedulæ cum quæstionibus necessariis de missione ad sacerdotes mittantur ita ut Responsiones in Scriptis Episcopo in ipsa visitatione tradi possint.

5. Quæ de residentia a Concilia Tridentino præscribuntur et de onere certis temporibus ad tramitem Apostolicarum Constitutionum Romam visitandi et statum Diocesium S. Sedi exhibendi ab omnibus strictè sunt observanda.

(1) Sess. v. c. 2 de Ref.

6. Singulis annis Diœcesanam Synodum si fieri potest celebrabunt Episcopi, in qua Decreta Concilii Provincialis (emendatione vel approbatione S. Sedis prius habita) publicari eaque omnia ordinari debent quæ ad sanam Diœcesis administrationem spectant.

7. Sine litteris dimissoriis vel testimonialibus proprii Episcopi nullus Episcopus ordinet clericos ex aliena Diœcesi oriundos, nec etiam alienum Sacerdotem sua Diœcesi aggregare potest Episcopus sine consensu et Litteris Excorporationis Ordinarii sui. Et quoniam in America plurima scandala et incommoda obveniunt ob numerum Sacerdotum vagantium qui quamvis Litteris Excorporationis seu Testimonialibus muniti, huc et illuc discursant sine ulla fixa sede, ita ut reipsa contra Ecclesiæ disciplinam per longum tempus sine aliquo superiore existunt, huic malo succurrere volens hæc Synodus enixè hortatur Episcopos ut omni quo possunt modo remedium opportunum adhibeant et tali deordinationi finem imponant.

8. In unaquaque Diœcesi constituatur Archivum Episcopale in loco tuto et commodo. In eo custodiri debent omnia quæ ad Diœcesim spectant et ne originalia depereant instrumentorum exempla habeat Archivista. Si quis Documenta in Archivo conservata, mutaverit, subtraxerit seu occultaverit eo ipso privatus sit omni dignitate, officio et beneficio si Clericus; si vero laicus Excommunicationem ipso facto incurrat.

9. Quum Episcopus non pro una sed pro omnibus Diœcesis partibus constitutus, pro omnibus laborat et invigilat, tenentur cuncti pro sua decenti sustentatione contribuere. Quapropter, singulis annis, per mensem Octobris oblationes Fidelium in omnibus Ecclesiis unius-

cujusque Diœcesis a Sacerdote loci recipiantur, et ad Episcopum seu ejus Secretarium transmittantur quamprimum.

XX. DE ECCLESIIS.

1. Sacrosancta Domini Templa in custodia sunt Sacerdotum. Quapropter diligentes decorem domus Dei et locum habitationis gloriæ Ejus, omnes intendant nervos ut Ecclesiæ ritè ornentur, omnibusque necessariis instructæ, nitidissimè serventur. In hoc, atque in sacris peragendis, eorum religionis studium semper effulgeat.

2. Nulli liceat in aliquo determinato Ecclesiæ loco sedem fixam habere in perpetuum. Sed ubi ex consuetidine sedes istæ construuntur in Ecclesiis, earum usus nonnisi de tempore ad tempus concedatur. Regulæ pro sedibus locandis et tenendis ab Episcopo semper præscribantur et si aliqua disputatio exoriatur deferenda est ad Ordinarium cujus judicium erit decisivum.

3. Ne quis, sive Clericus, sive laicus, Ecclesiam vel Presbyteriam ædificare incipiat inconsulto Episcopo atque ejus approbatione non obtenta non solum pro situ et titulo, sed pro ichnegraphia. Et quando talia construuntur ædificia, teneatur sacerdos librum habere in quo, auxiliantibus duobus laicis ab Ordinario nominandis, scribi debet relatio pecuniarum quæ accipiuntur vel expenduntur. Hic liber Episcopo inspiciendum in visitatione sua subjiciatur vel sæpius prout necessarium judicaverit. Thesaurarius vel Thesaurarii ab Episcopo semper constituendi sunt.

4. Nullus Sacerdos sine expressa licentia Episcopi aliquam societatem novam erigat in Ecclesiis sibi com-

missis nec aliquid in Missione sua permanenter instituat in suiipsius commodum.

5. Si quis Missionarius sine licentia Episcopi domum vel ædificium cujuscumque generis in terris ad Ecclesiam pertinentibus ædificet, periculum faciet suo, et nunquam pro iis compensatio aliqua tribuetur. Quotiescunque datur talis licentia, Episcopus exprimere debet utrum aliqua compensatio facienda sit vel non.

6. Et cum de Licentiis seu Facultatibus ab Episcopo necessariò obtinendis per decreta hujus Concilii loquimur semper intelliguntur Licentiæ scriptæ.

XXI. DE CŒMETERIIS.

"Non sunt contemnenda et abjicienda corpora defunctorum maximeque justorum atque fidelium, quibus tanquam organis et vasis ad omnia bona opera, Sanctus usus est Spiritus".(1)

Hinc Pia Mater Ecclesia pro inhumatione fidelium Cœmeteria solemni ritu benedici, sanctificari, et consecrari jubet, ut eorum corpora 'quietis sedem et ab omni incursione malorum spirituum tutelam' habeant.

1. Hæ Polyandra quæ etiam "de benedictione Sepulti Corporis Christi." Qui "figulus noster et quietis nostræ ager est" ab Ecclesia consecrantur, tanquam loca religiosa æstimari debent, et summa custodiri reverentia.

2. Omnia Cœmeteria diligenter sepiantur et tuto claudantur. Ad pascendum in eis ne admittantur animalia, sordesque ab eis omnino arceantur.

3. Moneantur fideles ne sumptus moderatos in exe-

(1) S Aug. de Civitate Dei, lib. I. c. 13.

quiis excedant et hortentur ut potius omnem impendant curam, per eleemosynas, orationes, suffragia, sacræ Communionis receptionem et Missas, solatium et requiem defunctis procurare.

4. Juxta antiquissimum Ecclesiæ institutum Missa, præsente corpore defuncti pro eo celebretur antequam sepulturæ tradatur. Hoc maxime fidelibus commendandum est.

5. Quandocumque de iis agitur quibus ex Ecclesiæ præcepto Sepultura negatur Ecclesiastica, cum omni prudentia procedendum est, et dubio occurrente consulatur Ordinariis.

6. Omnes querelæ, strepitus, dissidia et contentiones in his locis sacris tolerari non possunt. Si de loco sepulturæ vel ex aliqua alia causa obortæ fuerint contentiones Sacerdoti primo deferantur et postea judicio Ordinarii subjiciantur.

7. Cum corpus semel terræ mandatum fuerit, nec exhumari nec transferri potest sine licentia Episcopi.

8. Si aliquod Cœmeterium violatum vel pollutum fuerit, Sacerdos statim certiorem faciet Episcopum, ut ritu Ecclesiastico quamprimum reconcilietur.

ELENCHUS

DECRETORM CONCILII PROVINCIALIS HALIFAXIENSIS, HABITÆ IN ECCLESIA METROPOLITANA S. MARIÆ DE HALIFAX, CUM NUMERO ARTICULORUM.

Omnia et singula in hac Synodo statuta, decreta, et acta, qua decet obedientia et reverentia auctoritati, correctioni, et emendationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ,

omnium Ecclesiarum Matris et Magistræ, et Romani Pontificis, Christi Vicarii, judicio, emendanda, corrigenda, mutanda subjicimus.

✠ Ego GUILLELMUS archiepiscopus Halifaxiensis definiens subscripsi.

✠ Ego BERNARDUS DONALDUS episcopus Carolinapolitanus definiens subscripsi.

✠ Ego COLINUS FRANCISCUS episcopus Arichatensis definiens subscripsi.

✠ Ego THOMAS LUDOVICUS episcopus S. Joannis in Novo Brunswick definiens subscripsi.

JOANNES CAMERON, S. T. D.,
EDVARDUS BUTLER, } a Secretis.

EPISTOLA PATRUM

AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM PIUM PP. IX.

Beatissime Pater,

Quum S. Concilii Tridentini Decretis obtemperantes, in urbe Metropolitana, die octava Septembris, convenerimus, ad ea Synodice pertractanda quæ bono communi ovium nobis concreditarum inservirent, haud inde discedere par esset, quin Supremo fidelium Pastori, obsequentissimi gratissimique animi nostri sensus, ea, qua decet reverentia et dilectione, exhiberemus.

Vestræ namque sollicitudini vigilantiæque paternæ, magnum illud beneficium hujus nimirum Provinciæ nostræ Halifaxiensis erectionem, et constitutionem unicè debemus.

Quapropter, ex intimo cordis affectu Sanctitati V. gratias agimus, atque in perpetuum habebimus.

Profectus spirituales, qui paucis annis præteritis, in hac nova Dominicæ vineæ parte se manifestare cœperunt, spem præbent firmissimam fore ut Sanctissima nostra Religio, divina gratia opitulante, majora in dies incrementa percipiat.

De victoriis ac triumphis, super hostes Ecclesiæ Dei, quibus Pontificatus Vester tam mirifice illustratur, Sanctitati Vestræ vehementer gratulamur.

Dogma, quo Deiparæ Immaculata Conceptio ex Petri Cathedra voce infallibili annunciasti, nobis una cum

cæteris per orbem terrarum Christi fidelibus quam maximum præbuit gaudium.

Eamdem Beatissimam Virginem Mariam sine labe conceptam, veluti totius Provinciæ Halifaxiensis Patronam eligendam esse, communi voto censuimus, atque ut sententiam nostram approbare digneris, Sanctititatem V. enixè rogamus.

Iter, quo magnam Statuum Pontificiorum partem nuper invisisti, et quo plaudentes ubique Sanctitatem V. amplexati sunt amantissimi subditi, ingenti lætitia atque cordis oculis prosecuti sumus.

Vidimus enim qua ratione Divinæ Providentiæ placuit, Sedis Apostolicæ hostium infensissimorum audaciam et calumnias retundere, atque ad probrosum illos redigere silentium.

Neque dubitare omnino possumus quin ardentissimus amor quo Sanctitatem Vestram prosecuti sunt filii devotissimi, quotidie augescat ad incrementum Religionis Catholicæ atque in laudem et gloriam Dei Omnipotentis, Cujus vices in terris geris: præsertim cum neminem latere possit, qua paterna caritate, qua munificentia prorsus admirabili, qua cura indefessa, felicitati eorum temporali et æternæ consulis atque invigilas.

Denique ea qua erga S. V. tenemur obedientia atque veneratione, hujus nostri Primi Concilii Provincialis Decreta, Supremo Vestro judicio et emendationi subjicimus, ut quæ pro Ecclesiarum nostræ curæ commisarum bono, decernenda censuimus Apostolicam approbationem ac sanctionem, si quam merenter obtineant.

Interea S. V. a Deo Opt. Max. omnia fausta ex corde

precantes, Apostolicam Benedictionem nobis nostrisque gregibus humiliter imploramus.

Datum Halifaxiæ in Nova Scotia in Ipsa Synodo apud Ecclesiam Metropolitanam S. Mariæ Die XV^a Septembris, 1857.

✠ GUILLELMUS WALSH,
Archiepiscopus Halifaxiensis.

✠ BERNARDUS D. McDONALD,
Ep. Carolinapolitanus.

✠ COLINUS F. McKINNON, *Ep. Arichatensis.*

✠ THOMAS L. CONNOLLY,
Ep. S. Joannis in Novo Brunswick.

RESPONSUM

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI.

Venerabilibus Fratribus Guillelmo Archiepiscopo Halifaxiensi et ejus Suffraganeis,

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Omni, qua par erat, benevolentia excepimus et complexi sumus vestrum Collegam Venerabilem Fratrem Thomam Connolly Episcopum S. Joannis, qui nobis reddidit tum Acta primi provincialis Concilii a Vobis con celebrati die 8 proximi mensis Septembris, tum vestras Litteras die 15 ejusdem mensis datas, atque intimo erga nos, et hanc Petri Cathedram pietatis, amoris et obsequii sensu conscriptas quibus, Venerabiles Fratres, ejusdem Concilii decreta supremo nostro judicio subjicientes precati estis, ut illa probare, vel si opus fuerit, emendare velimus. Nulla interposita mora, ipsius Concilii Acta cognoscenda mandavimus Nostræ Congregationi Fidei propagandæ præpositæ, quæ suo tempore juxta nostram mentem congruum Vobis dabit responsum. Sed nobis temperare non possumus, quin hac Nostra Epistola meritis celebremus laudibus eximiam vestram pastoralem sollicitudinem, qua inducti, ex Sacrorum Canonum præscripto in unum convenistis, et invocato lumine Spiritus Sancti, communicatisque invicem conciliis ea statuere studuistis quæ ad sanctissimæ fidei nostræ depositum integrum custodiendum, ad catholicæ Ecclesiæ doctrinam tuendam,

promovendamque, ad Cleri disciplinam tutandam, ad fidelium pietatem, virtutemque fovendam, ad vitiorum germina convellenda, ac seductionis pericula propulsanda magis conducere posse existimastis. Summæ quidem jucunditati nobis fuit maximum gaudium, quo affecti fuistis ob Dogmaticam de Immaculata Sanctissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ Conceptione definitionem a nobis cum incredibili animi nostri lætitia pronunciatam, ac non possumus non vehementer probare, summisque laudibus efferre salutare sane consilium a Vobis communi consensione susceptum adsciscendi ipsam Beatissimam Virginem sine labe originali conceptam universæ istius ecclesiasticæ Halifaxiensis Provinciæ Patronam. Hoc enim pacto futurum confidimus, ut omnes isti fideles ardentiore veræ filialis pietatis ac devotionis affectu Deiparam Virginem, omniumque nostrum amantissimam matrem magis in dies colere ac venerari contendant, quo Ea duce, Ea auspice, Ea protegente ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Pergratum quoque nobis fuit, ex iisdem vestris Litteris cognoscere quos lætos fructus ista Dominicæ vineæ pars paucis annis, divina adspirante gratia ediderit, et firmiori vobiscum spe nitimur fore, ut, Deo bene juvante, sanctissima nostra religio istic magis in dies vigeat ac floreat, et Catholicus Populus merito juxta, ac numero augeatur. Plane non dubitamus, quin Vos, Venerabiles Fratres, pro egregia, ac perspecta vestra religione, et episcopali zelo, quo inflammati estis, divino auxilio freti pergatis majore usque alacritate ministerium vestrum implere omnique studio salutarem urgere talentorum negotiationem, quæ est de animabus Christo lucrandis. Ac persuasissimum nobis est, Vos quærentes

quæ Jesu Christi sunt, nullisque parcentes curis, consiliis, atque laboribus, nihil unquam intentatum relicturos, ut Ecclesiæ causam, ejusque jura strenue tueri, et Cleri disciplinam, sanctitatem fovere, ejusque rectam institutionem procurare, et fideles ab venenatis pascuis arcere ad salutaria propellere, eosque magis in dies sedulo enutrire verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmare, ac miseros errantes in omni patientia, bonitate, doctrina, caritate ab errorum tenebris, ad veritatis, justitiaeque semitam, et unicum Christi ovile reducere possitis. Nos interim licet indigni non desistimus, divitem in misericordia Deum humiliter orare et obsecrare, ut uberrima suæ Bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, quæ in dilectas quoque oves vigilantiæ vestræ commissas copiose descendant. Ac pro certo habemus, Vos pariter nunquam intermissuros assiduis, fervidisque precibus ab ipso clementissimo Domino exposcere, ut infirmitatem Nostram difficillimis hisce temporibus sub immenso supremi Apostolatus onere laborantem omnipotenti sua virtute sustentet, omnesque actus Nostros ad majorem Ecclesiæ suæ sanctæ utilitatem dirigat. Denique studiosissimæ ac propensissimæ Nostræ in Vos voluntatis pignus adjungimus Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam Vobis singulis, Venerabiles Fratres, cunctisque istarum Ecclesiarum Clericis, Laicisque fidelibus peramanter impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 10 Decembris. Anno 1857.

Pontificatus Nostri, Anno Duodecimo.

PIUS PP. IX.